M. TERENTI VARRONIS DE VITA POPULI ROMANI AD Q. CAECILIUM...

Marcus Terentius Varro, Karl Christian Hermann Kettner

MISCELLANEE
224
10
BIBLIOTECA NAZIONALE
CENTRALE FIRENZE

221
16

M. TERENTI VARRONIS
DE VITA POPULI ROMANI
AD Q. CAECILIUM POMPONIANUM ATTICUM LIBRORUM QUATTUOR
QUAE EXTANT.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSUMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI
CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
H. XI. DIE V. M. AUG. CIↃIↃCCCLXIII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HERMANNUS KETTNER
BUCOLNSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT
ANT. SEYFFERT, STUD. PHIL.
HENR. STEINBERG, STUD. PHIL.

HALAE
FORMIS HENDELIIS

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872
419

LECTORI
S.

Fragmentis, quae Varronis librorum de vita P. R. propono, praemisi pauca quaedam de operis argumento tempore quo conscriptum esse puto aliis rebus quae non videbantur esse omittenda, non id agens ut quae huc pertinerent omnia explanarem sed ut capita nonnulla significarem. In reliquiis vero recensendis ita versatus sum, ut ipsis fragmentis subiungerem locos auctorum quibus debentur, adnotationes autem exegeticas et criticas perpaucas addidi codicum lectionibus et vv. dd. coniecturis gravissumis obiter prolatis.

PROLEGOMENA.

M. Terentium Varronem de vita populi Romani quattuor libros conscripsisse, testis est Hieronymi catalogus librorum a Varrone atque Origene scriptorum editus a Ritschelio Bonn 1849 sic incipiens „Marcum Terentium Varronem miratur antiquitas, quod apud Latinos innumerabiles libros scripserit .... Scripsit igitur Varro XLI libros antiquitatum, IIII de vita populi romani“ sqq, quae quidem verba iam ante editum totum catalogum e Rufini apologia II, 20 nota erant, cf. Ritschel in Nov. Mus. Rhenan t. VI. p. 481 sqq Et bene haec concinunt cum crebris apud alios scriptores laudationibus, quamvis et de titulo operis et de librorum numero dubitatum sit. Janus Gebhardus, antiqq lectt. II, 19 narrat, in codice Nonii Palatino ubique exhiberi Varronis libros de vita patrum et hanc esse veram huius operis inscriptionem arbitratur, vid. etiam Turnebum opp Argentorat. 1600 t. III p 22, 38, sed sufficit monuisse, illam inscriptionem ne Latinam quidem esse, neque enim v. patres apud prosae orationis scriptores idem valet ac maiores, v Cic div in Caec. 21, 69 Unde falsae lectionis origo ducenda sit, nempe e falsa compendiorum interpretatione, indicant adnotationes editorum Basileens Nonii ad p. 68, 32 et p 531, 22 (ed Merc.), ubi docemur codicem optimum Guelferbytanum semper, Leidensem inde a p 531, 22 praebere P R, posteriorem inde ab initio usque ad locum dictum pleno populi romani, editiones vero ante Aldinam a 1513 omnes habere patrum Saepissime illud compendium falso a librariis esse explicatum docent O Mullerus ad Varr de l L. VI, 54 et Baiterus ad Ascon. p 13, 1, cf etiam L. Krahnerum, commentat de Varr antiqq libb. p. 9 sq Numerum librorum quaternario ampliorem non fuisse, si quis Hieronymo fidem denegare velit, certe id satis confirmat quod inter tot mentiones a Nonio, Charisio, Asconio, Prisciano, Virgilii interprete Aspro factas una in uno codice illum numerum excedit, nempe in fragmento I, 15 codex Leidensis habet „Varro de vita P R. libro quid inter“ sqq, superscripta nota XI, unde effecerunt Aldus et Iunius „Varro de vita P R lib XI quid inter“ sqq, neque aliter indicant Riccobonus in Varr fgtis. et Fabricius in biblioth Lat. repetita in edit.

Digitized by Google

Varr. Bipont. t. I, p. XV. Scaliger coniectan. edit. Dordrac. Varr. p. 28 correctum est in edit. Varr. Bipontina in t. II. p. 42. Sed vide etiam Scalig. in Fest. s. v. manalem lapidem, ed. Lindem. p. 490 et alib. Verumtamen iam Popma vidit, in Nonii loco p. 162, 17 solam rectam esse aliorum codicum lectionem „lib. I.,“ ceterorum locorum numeri orti sunt ex falsa coniectura, quanquam aliter iudicat Baehrius, qui iure reprehensus a Ritschelio in Nov. Mus. Rhen. t. VI. p. 512 hoc opus certe amplius fuisse videri et undecim aut pluribus libris constituisse putat, Baehr. hist. lit. Rom. 1845 ed. III. tom. II. p. 32. Latuit hunc virum doctum praeter ea quae modo disputavi chronologica librorum ratio iam tunc a Buttmanno, quaestt. de Dicaearcho Numburg. 1832, tum a Ritschelio in indice schol. Bonn. 1845 notata, qua non est credibile, Varronem libro primo a regum Romanorum temporibus exorsum et libro quarto usque ad suam ipsius aetatem progressum septem vel plures libros addidisse, quibus quid enarraverit ne divinare quidem possumus. Immo, ut opinor, a Varrone partitionum ad regulam normamque revocandarum amantissimo quaternarius numerus non temere nec casu delectus est, quadrifariam dispertiit antiquitatum rerum humanarum libros, cfr. Varr. ap. Non. p. 92, 14 et Augustin. de Civ. D. VI, 3, et prorsus in eandem rationem de lingua Latina ad Ciceronem libros, cfr. Ritschel in Nov. Mus. Rhen. t. VI. p. 525 sqq., de antiqq. rer. div. libb. v. August. de Civ. D. VI, 3 (Francken, fragg. Varr. q. inveniunt. in libb. August. d. C. D. L. B. 1836 p. 33), cf. de r. r. I, 5 extr., de philosophia apud August. d. C. D. XIX, 1, quo de loco vide Vahlen. coniectan. in Varronis satiras p. 117, de lingua latina V, 11, ubi v. O. Müllerum, item composuit de gente populi Romani libros quattuor, plus uno nomine de vita P. R. libris comparabiles, de quorum numero cum aliunde tum certissimo Arnobii V, 8 testimonio constat.

Missos fuisse hos libros ad Q. Caecilium Pomponianum Atticum, — is est cui antequam ad avunculo adoptatus esset nomen erat T. Pomponio Attico, v. Schneider in Varr. r. r. II, 2, 1, adoptatus autem est Atticus longe ante horum librorum compositionem —, testatur locus Charisii inst. gramm. I. ed. Keil p. 126, 15 (p. 101 P.): „Digitum pro digitorum Varro ad Atticum de vita P. R. lib. I. n a q u e i l l e C a l l i c l e s — a l t i t u d i n e m.“ Cum autem Varro non gratificaturus tantum atque officiosus familiarium et fautorum nomina libris suis inscribat vel eos inter se disserentes inducat, cum potius plerumque aliquam necessitudinem inter librorum argumenta et praescripta virorum nomina intercedere velit — laudo εἰσαγωγικὸν

Pompeio, ephemeridem navalem eidem Pompeio, antiquitates rerum divinarum Caesari pontifici maxumo (cfr Roth. de vit. Varr. p 23) missas et quae de logistoricorum titulis Ritschelius, de Varr logist. p VII sqq et quae de interlocutoribus in libris rerum rusticarum Schleicherus, meletem Varr. spec. I. Bonn. 1846 p. 3 sqq exposuerunt —, ne in hac quidem inscriptione prudens quoddam auctoris consilium negari poterit. Hos libros enim, quibus servato temporis ordine maxume insignes res Romanorum gestas, mores atque instituta enarraverat neque ullam fere antiquitatum, quas nos dicimus, partem neglexerat, vix cuiquam aptius dare poterat quam Attico, qui libro annali conservatis notatisque temporibus, nihil cum illustre praetermitteret, annorum septingentorum memoriam colligavit, adde Cic. Brut. 3, 14 sqq , Hullemann diatrib. p 185, Oehler, Varr. satir p 205 Atque ad ipsa Attici studia in antiquitate Romana posita egregiumque eius imprimis a Cicerone utriusque amico laudatum de hac re volumen aliquantum respiciunt Varronis verba, ni fallor, quae Charisius servavit, quaeque non longe ab initio afuisse videntur

Schneiderus de vit. et script. Varr. in edit Scriptt. R. R. t. I. p II. p. 234 sqq ex ipsorum librorum fragmentis ante annum 705/49 (mensem Aprilem, f. IV. 6) hos libros compositos non fuisse recte docet, ab eo vero anno usque ad Varronis mortem numerantur viginti duo anni, quod amplum spatium nescio an ad artiores fines possit revocari. Iam a 706/48 et 707/47 conscripsit libros antiquitatum rerum divinarum, cf Schneider l. l. p 230 sqq, quod tempus compositio librorum de vita P. R. ideo mihi videtur non nimio intervallo interposito secuta esse, quod ii quodam modo illius gravissimi operis supplementum dici possunt. Attamen errant, si quid video, Turnebus opp Argentor t. I. p. 85, 39 et Franckenius fragm. Varr q inven. in libb August. d C D p XIX et Fuhrius, Dicaearch. fragm. p. 96, ad hoc opus respicere putantes Ciceronis locum laudatissumum, Academ poster I, 3, cogitat Cicero de omnibus Varronis scriptis, quae iam ediderat, imprimis vero de XLI antiquitatum libris, qui paulo ante in publicum prodierant et sine dubio longe plurumum ad auctorem celebrandum valuerunt. Porro Attici annalis, cuius Varronem in prooemio quantulamcumque fecisse mentionem exposui, confectus atque editus est sub annum 707/47, Hullemann. diatrib. p. 188, ergo de vita P. R. libros ante hoc tempus non scriptos esse consentaneum est. Mortuus est Atticus pridie Kal. Apr a. 722/32, Cornel Nep vit Attic. c. 22, sic termini, intra quos libri de quibus dicimus

1*

conscripti esse debent constituti sunt anni 707/47 et 722/32. Iam supra libros Varronis de gente P. R. in comparationem vocavimus, quod et ipso titulo et librorum numero similitudinem quandam cum libris de vita P. R. ostendunt, neque argumenta dissimilia esse infra demonstrabitur, quapropter cum rationes modo institutae non repugnent, non inepte puto statuere possumus tempore fere eodem haec duo opera esse conscripta, i. e. anno 711/43, hoc enim ipso anno editos esse libros de gente P. R. docent rectissime Rothius de vit. Varr. p. 27 et Th. Mommsenus, chronol. Rom. ed. II. p. 147. Idem placet Boissierio, étude sur la vie et les ouvrages de M. T. (sic!) Varron Paris 1861, qui liber innumeris fere refertus est erroribus (cf. p. 35 et 51 et 54 cum Gell. n. a. III, 10, 17, p. 52 cum Varr. de vita P. R. IV, 6, logistor. Catus de liberis educandis), secutus illo non tam certa veterum testimonia quam ingenii morumque Varronis et temporum illorum universam rationem p. 53 „Je crois donc" inquit, „que Varron publia son ouvrage aux derniers moments de la republique, lorsque Antoine, commençant son dessein de venger César, marchait contre Rome."

Inscriptio librorum petita est a Graecis, vitam enim Graeciae composuerat quattuor libris Iason, Posidonii discipulus Suid. ed. Bernh. I 2 p. 931, Steph. Byz. s. v. Ἀλεξάνδρεια, et iam ante hunc laudatissimum opus condidit Dicaearchus Messenius Βίον Ἑλλάδος, quod Varroni fuisse ob oculos professi sunt certatim vv. dd. Libris illis tribus βίου Ἑλλάδος vel περὶ τοῦ τῆς Ἑλλάδος βίου sermonem fuisse de isdem fere rebus, v. Fuhr. Dicaearch. q. supers. Darmstadt 1841 p. 85, si nonnulla veluti geographicas et chronologicas rationes alibi a Varrone narratas exceperis, atque libris de vita P. R., etiam nunc fragmenta aperte docent. „Neque solum, ut videtur, qualis scriptoris aetate fuerit (vita Graeciae), sed etiam priorum temporum ex historico quodam eius progressu descripta fuit", Fuhr. p. 86, neque aliter ipse Varro in describendis Romanorum moribus atque institutis versatus est. V. etiam Varr. r. r. I, 2, 16 et II, 1, 3.

Acturus Varro de vita populi Romani neque res ab eo gestas silentio potuit praetermittere et antiquitatum publicarum non minus quam privatarum et sacrarum summas attingere debuit. Consentaneum quoque est, et hominum et populi βιογράφον non alio ordine res enarrare quam eo ipso quo gestae sunt, et sic Varro consilium suum executus est, quod librorum singulorum reliquiis consideratis etiam clarius elucet. Primus perspexit, ni fallor, hanc argumenti dispositionem A. Buttmannus, de Dicaearcho eiusque operibus, Numburg 1832 p. 42. Post hunc Ritschelius immemor et vi-

Digitized by Google

detur illius dissertationis ipse invenit chronologicam librorum rationem, procem. Bonn. aestiv. 1845, de taberna fori Romani p. V, quem sequitur Thilo, de Varr. Plut. Qu. Ro. auct. praec. Bonn. 1853 p. 5. Primo libro regum tempora inde a Romulo usque ad regifugium comprehensa fuisse docent fgm. I, 5 et I, 9, iam inde a primis consulibus Varronem exorsum esse in secundo libro demonstrat fgm II, 8, et propagata fuerat historia, ut videtur, usque ad initium belli Punici primi, v. fgm II, 24, et III 15. Ab anno igitur 490/264 incipiebat liber tertius et complectebatur tempora usque ad a. 621/133, v. III, 21. Ab anno 621/133 inchoabat liber quartus, III, 1 et deducebat res Romanas usque ad proelium Pharsalicum liberaeque reipublicae, ut videbatur Varroni Pompeianarum partium sectatori, finem atque interitum. Obstare videntur tria fragmenta, quorum II, 2 in codd. libro I tributum propter II, 1 facili negotio in suum locum restituitur, tum fgm. III, 4 iam a Thilone p. 6 quarto libro ereptum est, et III, 5 eidem libro non primo vindicavi, cum agat de Q. Fabio Maximo dictatore, i. e. de bello Punico secundo, e cuius historia nonnulla alia fragmenta in tertio Varronis libro fuisse tradantur. Denique breviter commemorandum est, etiam in libris huic operi similibus, qui aut Varroni haud dubie noti erant aut quorum auctores hoc opus non ignorasse verisimile est, servatum esse ordinem chronologicum, vel etiam maiorem intercedere cum Varronianis similitudinem. Et de Dicaearchi quidem vita Graeciae diximus, fortasse vero ne Catonis quidem origines in comparationem vocare ineptum erit, quarum composuit indicem Cornelius Nepos Cat. 3, 2; praeterea origines non mera constabant rerum gestarum enarratione, sed inerant etiam nonnulla ex antiquitatibus populi Romani deprompta, cfr. Iordan. Cat. reliq. p. LIX coll. Krahner. de Varr. antiq. p. 9; eandem moram describunt Cato ed. Iord. p. 29, 9 et Varro de vita P. R. II, 20. Atticum librum annalem commemoravi, in ipsius Varronis libris IIII de gente populi Romani res fuisse temporum ordine dispositas, bene suspicatus est Ritschelius in Nov. Mus. Rhen. VI p. 508. Interiorum seculorum scriptores aliquot paulo longius progressi significationem illam vocis vita ab homine ad populum translatam ita amplificaverunt, ut historiae Romanae partibus tribuerent ipsa graduum aetatis humanae nomina, cuius metaphorae luculentum habemus exemplum ista quae de Seneca quodam Lactantius inst. div. VII, 15 memoriae prodidit. Hunc si non imitatur certe aemulatur Florus, qui in prooemio epitomae rerum gestarum Romanarum inde a Romulo usque ad a. 725/29 narratarum et per librum passim eadem usus est translatione, v.

Google

procem. 4, et eosdem fere terminos posuit atque Varro. Denique Ammianus Marcellinus XIV, 6, 3, sqq. usus est hac distributione historiae Romanae quasi vitae humanae in aetates, in pueritiam, adulescentiam, iuventutem, senectutem.

His expositis non potest esse dubium, quin prorsus a vero aberraverit Popma, opp. Varr. ed. Bip. t. II p. 305, qui verbis Varronianis I, 22 „Primum de re familiari ab patribus, secundo de victus consuetudine primigenia, tertio de disciplinis priscis necessariis vitae" notatum esse argumentum singulorum librorum suspicatus est et hunc indicem ita supplevit ut quarto libro de causis et eventis bellorum populi Romani vel, ut sibi idem dicit, de bellis civilibus actum fuisse assevaret, quam opinionem ne refutent ipsa fragmenta, coactus est ut aliquoties numerum libri in codicibus traditum mutaret, v. eius adnotationem l. l. p. 315 ad t. Tunicas neque capitium sqq. V. Lipsium epist. quaest. IV, 23, D. Gothofredum ad Non. s. v. Caerimonia. Sed oboritur quaestio, quonam sint referenda ista verba, quae ad singulorum librorum reliquias in ordinem redigendas plurimum videntur valere, attamen tantum abest, ut iis adiuti possimus numerum fragmentorum satis magnum disponere et eodem referre ordine quem ipse Varro instituerit, ut non solum fragmentorum copia prorsus a tripertitione ista abhorreat sed etiam ipsa illa verba non satis dilucida sint atque aperta. Veri videtur simillimum, distributionem illam non esse primariam sed secundariam vel etiam tertiariam, neque iam necesse est, ut verbis **res familiaris, victus, disciplinae necessariae vitae** peramplam vindicemus significatum, sed aliis rebus, quae fortasse illis subiungi poterant, singularem reservemus locum. Deinde perquam credibile est, non in primis duobus tantum libris tres illas res tractatas esse sed in omnibus quattuor, cum quomodo in illis ostenderat Romanorum antiquorum abstinentiam atque simplicitatem sic suorum temporum in his commonstraret luxuriam atque libidinem. Enarrabat in singulis libris res Romanorum gestas atque antiquitates ita, ut argumenta disponeret per partes in ipsa rerum descriptarum natura positas, quemadmodum fere nunc consilium suum exsequuntur, qui antiquitatum Romanarum brevem conspectum proposuerunt, qualis fuerit huius populi vita certo quodam temporis spatio. In singulis his partibus sine dubio temporis sequebatur cursum, cuius rei praeclarum praebet exemplum fgm. IV, 13, semper vero laudator temporis acti virtutes maiorum suorum extulit in lucem ponebat, et ubicunque aliquam virtutem commemorabat, statim alia adiciebat instituta vel facta in quibus ea

dem elucerct virtus et quod modo de iis dixi quae in priscis Romanis laudanda erant, valet etiam in posterioribus libris de iis quae in suae aetatis Romanis vituperare debebat, v. imprimis Asconium Pedianum in Cicer. orat. in Pisonem 22, 52 ed Baiter p 13: „Varro quoque in libro III. de vita populi Romani quo loco refert, quam gratus fuerit erga bene meritos, dicit Mutini — civitatem Romae datam aedesque et pecuniam ex aerario," et fgm II, 4, ubi nemo ignorat addenda fere esse verba Ciceronis ipse testatus est, et I, 32, quibuscum verbis coniungenda sunt verba quae leguntur in fgm. I, 33 et 34. Prorsus vero eae reliquiae quibus res belli domive gestae narrantur abhorrent a modo annalium scriptoris stilo, neque ita diu in singulis factis commoratus esse videtur. v. I, 3: „neque ita ut in singulis rebus diutius moremur, ut dixi, atque nodare subtilius velimus," et Porph. περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων IV, 2 de Dicaearchi Vita Graeciae: „συντόμως τε ὁμοῦ καὶ ἀκριβῶς," Cornel Nep de Caton origin. „capitulatim" (cfr. Iordan. p LIIII). Iam quonam modo in singulis libris argumentum varium fuerit dispositum, enucleare non potui, ordinem vero esse servandum omniaque accurate esse distribuenda ac mentibus prae argumentorum copia deest singula quaeque dignoscendi facultas, ipse in limine libri primi profitetur his verbis 1, 2: „neque enim obsonium in tota cena coemptum ex variis rebus, cum coniectum in unam sportam, perspicitur." Equidem restitui ordinem, qualem Varro in libris Antiqq rer div., et in XIIII. quidem, ut videtur, instituit, Augustinus enim de Civ D VI, 9, 5: „Denique et ipse Varro," inquit, „commemorare et enumerare deos coepit a conceptione hominis, — eamque seriem perduxit usque ad decrepiti hominis mortem, et deos ad ipsum hominem clausit ad Naeniam deam, quae in funeribus senum cantatur. deinde coepit deos alios ostendere, qui pertinerent non ad ipsum hominem sed ad ea quae sunt hominis, sicuti est victus, vestitus, et quaecumque alia, quae huic vitae sunt necessaria," cfr Merkel in Ovid. Fast. p CLXXXVII.; v. Varronem de l L. V, 105: „de victu, de vestitu, de instrumento, et si quid aliud videbitur his aptum."

De consilio quod secutus Varro quattuor de vita P R. libros conscripserit, post praeclarissimam expositionem Krahneri, de Varr antiqq. libb p 2, cui adsentitur Merckinus in Philolog t. XIII p 731 sqq., pauca afferre in animo est. Iam in procemio libri primi professus erat, se non more annalium scriptorum ieiunam composuisse rerum gestarum narrationem vel antiquitatum enchiridion sed brevi in tabella et ut capita tan-

tam rerum posceret exhibuisse imaginem Romae, qualis esset orta, qualis per longam seculorum seriem adolevisset, qualis denique tum temporis facta esset. Studuit ut aequales suos doceret quam strenui, candidi, verecundi fuissent maiores, quorum integrorum piorum laus ne ullo minueretur vituperio, vel manifesta flagitia obtexit ac mitigavit, I. 6, cum alienorum populorum vitia acerbissime castigaret, III, 4. Cum imagine autem eorum temporum, quae in tertio et quarto libro depicta erant, v. III. 21—23, IV, 6. 10. 13—16 compares venustam descriptionem apud Mommsenum, hist. Rom. t. III. p. 500 sqq. Postremo loco orat atque obsecrat cives suos, ut concordiae consulere velint, ipsumque libenter inimicorum laturum esse opprobria dicit, dummodo ne summum illud civitatis decus despiciatur, IV, 11. Insertae autem erant enarrationes de quibusdam rebus aut ab aliis scriptoribus neglectis aut Romanis minus notis, quales in libro I. de vasis, in libro III de re militari fuerunt, satis amplae, quas tenuiores fuisse videri in Varrone non mirum est. Agnoscimus etiam in his libris eundem Varronis stilum neglegentiorem atque quo eum in libris de lingua Latina usum fuisse Spengelii Mullerique curis constat et quem in libris rerum rusticarum fuisse usum demum per Keilii observationes intellegi licuit.

Fragmenta quae viri docti aut ipsi falsis lectionibus decepti aut suis coniecturis in errorem ducti his libris non recte adsignaverunt, generis subieci ibique cur ea exulare iusserim defendi [1]). Riccoboni autem suspicio aliud Varronis opus cum his de vita P. R. libris copulare conati — dicit: „Charisius libro I. (p. 108. P.) recitat haec verba Spartaco innocente coniecto ex libro III. de rebus urbanis, qui fortasse est tertius de vita populi Romani" — iam satis refutata est invecto Hieronymi catalogo, qui enumerat post quattuor de vita P. R. libros etiam Rerum urbanarum libros III. Sed quae intercesserit ratio inter rerum urbanarum et de vita P. R. libros divinare non licet, cum illorum librorum unum extet fragmentum apud Charisium, interim vide quae exposuit Ritschelius l. l. p. 510 sqq. Sed poterant his fragmentis addi alia quae non sine veri similitudine ad eos aut iam relata aut referenda sunt. Ut unum exemplum proponam, non inepte ad libros de vita populi Romani pertinere arbitratus est Hertzius verba lepidissima Varronis laudata a Prisciano inst. gramm. VIII. ed.

[1]) Asterisco adiecto notavi fragmenta quae cum non traditum sit quoti sint libri certa coniectura vindicavi, cruce ea quae alii libro adsignificavi atque nunc auctorum codices testantur.

Google

Hertz. t. I. p. 384, 1: „paupertas enim haec tum non ita nutricata (ut puta largitionibus frumentariis, nos diceamus futtern), ut nunc conspicatur" (animadvertas etiam aptum ὁμοιοτέλευτον). Atque adeo aliorum scriptorum quosdam de vita Romanorum privata locos, quamvis Varronis nomen reticeatur, ad horum librorum auctoritatem referre possis, veluti de cena, prandio, cet. apud Plutarchum Quaestt. sympos. VIII, 6, 5 coll. Isidor. origg. XX, 2, 10 sqq. et Fest. passim. De necessitudine quae his de vita P. R. libris fuerit cum aliis nonnullis Varronianis operibus nunc verba non facio, neque de libris IIII Varronis de gente P. R., qui cum hoc opere artissimo vinculo iuncti erant.

Paucis denique de fatis librorum de vita P. R. monendum videtur. Itaque eos scriptores, quos hoc Varronis opus in suum usum vocavisse probari possit, breviter perstringam. Quam operam ideo non inutilem iudico, quod ii, qui reliquias Varronianorum librorum ita apud grammaticos aliosque auctores allatas, ut libri unde hauserat titulus saepe ne nomen quidem Varronis adscriptum sit, huic scriptori vel certis eius operibus vindicare conantur, semper memores esse debent non solum certumne sit illos omnino usos esse Varronis libris, verum etiam quibus eius libris usi sint. Nam dubitari quidem nequit, quin propter multorum eius operum argumenti similitudinem, quanta vix maior cogitari potest, admodum sit difficile fragmenta quae non addita libri inscriptione e Varrone laudantur ad certum opus revocare, attamen imminuit aliquatenus hanc difficultatem id quod constat plerosque scriptores posteriores certum non ita magnum Varronianorum operum numerum lectitasse, paucos in quibus sunt Plinius, Gellius, Charisius totum eius doctrinae thesaurum perscrutatos esse. Quaerendum igitur est quinam scriptores Varronis de vita P. R. libris usi sint, quorum aliquot diligentius enumerabo, ceteros indicasse satis habens.

Et primum quidem operae pretium duco inquirere hauseritne ex hoc fonte quantum e Festo Paulove cognoscere licet Verrius Flaccus. Hunc vero grammaticum, etiamsi deessent certiora indicia, quattuor de vita P. R. libros non ignorasse et ut ferebat studiorum communio aliquoties respexisse vix quemquam negaturum esse arbitror. Verrius enim Varronis tantum non aequalis, qui non modo illius antiquitates, epistolicas quaestiones ipse commemorat, sed libros etiam de lingua Latina, ut vel ex Festi epitoma elucet, non raro paene ad verbum exscribit, nullo modo neglegere poterat id opus, quod quantopere convenerit cum ipsius librorum consilio, pleraque trium priorum Varronianorum librorum fragmenta satis docent.

Digitized by Google

Imprimis ingens apud Festum articulorum numerus de Romanorum victu, vestitu, de ritibus nuptialibus et sepulcralibus, de re militari extendit, vix Varronis antiquitatum libros tanto rerum tractatarum societate cum Verrii libris de verborum significatu coniunctos fuisse quam de vita P. R. Quapropter fieri non potuisse puto, quin nonnunquam horum librorum esset mentio iniecta, quamvis nunc apud Festum et Paulum nulla extet. Sed supersunt satis firma Varronis horum librorum vestigia in istis epitomis, comparatis cum Varr. fgm. II, 11: „cum in quintum gradum pervenerant atque habebant sexaginta annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi atque otiosi. Ideo in proverbium quidam putant venisse ut diceretur sexagenarios de ponte deici oportere, id est, quod suffragium non ferant, quod per pontem ferebant“ et Fest. p. 334b, 16 s. v. sexagenarios, ubi postquam varias de explicando prisco ritu opiniones protulit postremo loco addit: „sed exploratissimum illud est causae, quo tempore primum per pontem coeperunt comitiis suffragium ferre, iuniores conclamaverunt, ut de ponte deicerentur sexagenarii, qui iam nullo publico munere fungerentur, ut ipsi potius sibi quam illi deligerent imperatorem; cuius sententiae est etiam Sinnius Capito,“ dubitari nequit quin Verrius aut omnino hanc explicationem proverbii e libro secundo de vita P. R. deprompserit aut certe propter Sinnii Capitonis cum Varrone, penes quem in his rebus summa auctoritas, consensum causam dixerit exploratissimam. Ex eodem libro, fgm. 15, producitur haec verba: „stipendium appellabatur, quod aes militi semenstre aut annuum dabatur: cui datum non esset propter ignominiam, aere diruitus esset,“ quae fere repetita videmus apud Paul. Fest. p. 69, 17. „Dirutum aere militem dicebant antiqui, cui stipendium ignominiae causa non erat datum, quod aes diruebatur in fiscum, non in militis sacculum.“ Denique tertium est manifestum exemplum in fgm. III, 10: „eosdem (accensos) etiam quidam vocabant ferentarios, qui depugnabant fundis et lapidibus, iis armis, quae ferrentur, non quae tenerentur“ et in Paul. p. 85, 7. „ferentarii auxiliares in bello, a ferendo auxilio dicti, vel quia fundis et lapidibus pugnabant, quae tela feruntur non tenentur, ita appellati,“ quae verba iterata sunt apud Paul. p. 369, 5, protulit quidem Varro eandem etymologiam etiam de l. L. VII, 57: „— aut quod ferentarii equites hi dicti, qui ea modo habebant arma quae ferrentur ut iaculum,“ sed congruit hic locus non tantopere cum Paulo quantopere fragmentum libri tertii de vita P. R. Alia exempla sunt minus certa, cum aut nitantur coniecturis, aut alii afferri possint libri, imprimis Varronis de lin-

gua Latina, ad quorum auctoritatem Festi articuli facilius relegentur; in quibus sunt Fest. p. 197 a, 28: „significatur etiam osculo savium, — quod inter cognatos propinquosque institutum ab antiquis est maximeque feminas —" coll. cum fgm. I. 32 et 33, Paul. p. 58, 14. „Cocum et pistorem apud antiquos eundem fuisse accepimus. Naevius —" coll. cum fgm. I. 35, ubi mihi videtur veri similius, Verrium hausisse ex Ateio Capitone, e quo eandem rem multis narrat Plinius n. h. XVIII, § 107 sqq., quam e Varrone, ut volebat Thilo p. 21. Omnino cavendum est, ne nimium apud Verrium tribuamus de vita P. R. librorum auctoritati, nam extant apud eum loci, ubi maluisse videatur sequi libros de l. L. quam de vita P. R., ut quae leguntur apud Paul. 264, 8. et 14, 16. de rorariis propius accedunt ad Varr. de l. L. VII., 58. quam ad Varr. de vita P. R. III., 11, neque Paul. 87, 11. et Fest. 245 a, 1 magis conveniunt cum de vita P. R. fgm. II., 16. quam cum Aetiorum fragmentis apud Charisium p. 117 P. et apud Servium ad Vg. ecl. VIII., 29. Verrius Flaccus ipse fuit grammaticus doctissimus et in antiquitate Romana non mediocriter versatus, itaque plerosque adiit fontes e quibus ad suum opus componendum fructum capere posset, sed non nude eorum sententias mutuatur vel scripsit, quemadmodum posteriorum seculorum compilatores facere solent. Quamobrem plerumque valde dubium est, num vere Festi articulus fragmenti Varroniani non dissimilis ex eius libris sit desumptus, Verrium autem cum plerisque aliis etiam hos Varronis libros volvisse non negandum est. Accidit quoque non raro, ut Verrius ex operis sui natura res accurate describere deberet, quas Varro uno verbo commemorare poterat, cfr. Paul. p. 128, 4. cum Varr. de vita P. R. I, 44; quare persuasum habeo nullum Festi vel Pauli articulum de vasis fluxisse e libro I. de vita P. R., quamquam plurimorum etiam nunc in fragmentis extat memoria, v. art. armillum, cocula, candelabrum, cicindela, calpar (bis), capis, culigna (bis), cymbium, creterrae, δέρρεις, lepista, matula, matellio, nassiterna, tinia; accedit quod nonnulla longe aliter explicantur atque a Varrone (v. 1. lepista, tinia), alia aptius e quinto libro de l. L. dempta putantur (v. capis, matellio). Sic etiam alia multa instituta et verba Verrius prorsus aliter interpretatur, veluti optiones, v. Fest. 198 b, 11 et Paul. 184, 13 coll. cum Varr. de vita P. R. III. 12 et censores, v. Paul. 58, 8 coll. cum fgm. II, 10. Nihilo minus Festi editores inde ab Ursino satis magnum horum librorum fragmentum apud illum indagavisse sibi visi sunt. In pag. 285 a, 34 ed. M. enim codex habet: „Religiosus

praecipuae habetur Censo — Varro exo —," quod editores in hunc modum suppleverunt: „Religionis praecipuae habetur Censoria maiestas, cuius in libris de vita P. R. Varro exempla haec profert," et deinde enumerantur exempla maiestatis censoriae petita ex decem continuis lustris ab a. u. 574—622. Exempla quidem omnia recte sunt ab Ursino et Od. Müllero explorata, sed lectio in libris de vita P. R., ut puta, secundum ordinem chronologicum in libro III, nimis videtur incerta. Nam quamquam Lindemannus in Fest. l. l. p. 234 adnotat: Opinor hic a Festo referri Varronis verba ex librorum rerum humanarum, vel de vita populi Romani, in qua de Censoria maiestate agebat, memor ni fallor fragmenti II, 24: „quod propter censorum severitatem nihil luxuriosum habere licebat," ab his libris tam accurata et longa enumeratio viginti censorum, qui decem continua lustra condiderant, prorsus fuit aliena, maluerim igitur scribere: „cuius in rerum humanarum L . Varro exempla haec profert."[1])

Hactenus de Verrio Flacco. Venio iam ad Valerium Maximum, qui utrum his Varronis libris usus sit annon, etiam propterea utile est scitu, quod nescio an inde de horum librorum indole ac dispositione conici possit. In hoc vero scriptore longe aliter res se habet atque in Verrio Flacco. Nam cum quaestionibus de eius fontibus institutis sit demonstratum, quattuor scriptores, Ciceronem, Livium, Sallustium, Pompeium Trogum omnem factorum et dictorum memorabilium eius libris materiam suppeditasse, ita ut quae ab aliis essent accepta uno loco congesta, vix quattuor capitum spatium expleant (usus sum Kempfii verbis, Valer. Maxim. p. 26), in iudicio de alio fonte ferendo admodum cauti simus oportet. Sed Valerium Maximum Varronis opera non ignorasse et semel certo in usum suum convertisse, certo constat testimonio, III, 2, 24: „sed quod ad proeliatorum excellentem fortitudinem attinet, merito L. Sicci Dentati commemoratio omnia Romana exempla superaverit, cuius opera honoresque operum ultra fidem veri excedere iudicari possent, nisi ea certi auctores inter quos M. Varro monumentis suis testata esse voluissent"; e Varrone igitur sumpsit totum

---

[1]) Fortasse fuit is unus e libris de temporibus, i. e. ex XIIII—XVIIII. Si in rebus prorsus obscuris coniciendi prurigini indulgere liceret, equidem argumenta illorum librorum ita distribuerem: l. XIIII de diebus, l. XV de mensibus, l. XVI de annis, l. XVIII de lustris, l. XVII de seculis (hoc ex Censorin. de die nat. c. 17 extr. satis certum est), l. XVIIII de aere (cfr. Varr. de l. L. VI 11) vel similiter. Itaque in l. XVII primarius fuerit locus harum rerum, quales a Festo l. l. excerptae sunt

istud caput de Siccii Dentati fortitudine eiusque praemiis, et a libris antiquitatum rerum humanarum quidem, ut recte suspicati esse videntur Kempfius p. 20 et Mercklinius, de Varrone coronarum Romanorum militarium interprete praecipuo quaestt. (Dorpat. 1859) p. 14, neve quis et Valerii et permultos aliorum locos de coronis militaribus ad tertium librum de vita P. R. referre posset cavit idem Mercklinius l. l. Cuius v. d. egregia disputatione cum comprobatum sit, omnes fere Verrii Flacci, Plinii, Gellii locos de coronis militaribus non minus quam Valerii Maximi modo laudatum ex uno Varrone oriundos esse, non dubito ad eandem auctoritatem revocare Valer. Maxim. III, 6, 5: „nam Papirius quidem Maso, cum bene gesta re publica triumphum a senatu non impetravisset, in Albano monte triumphandi et ipse initium fecit et ceteris postea exemplum praebuit, proque laurea corona, cum alicui spectaculo interesset, myrtea usus est“, quibuscum conveniunt quae sunt apud Paul. p. 144, 13: „Myrtea corona Papirius usus est, quod Sardos in campis Myrteis superasset“, cf. Plin. n. h. XV, §. 126 et Mercklin. p. 6 sq. Item non sine ratione Varronis librorum rerum humanarum habita scripta esse puto haec Val. Max. II, 8, 7: „ceterum ad quercum pronae manus porriguntur, ubi ob cives servatos corona danda est“, cum verbis sequentibus: qua postes augustae domus sempiterna gloria triumphant praeter locos a Kempfio indicatos compone verba monumenti Ancyrani extr. haec: „quo pro merito meo senatus consulto Augustus appellatus sum et laureis postes aedium mearum vinctae sunt publice, superque eas ad ianuam meam ex querna fronde corona civica posita ob servatos cives“. Coll. Gell. V, 6, 11: „civica corona appellatur, quam civis civi, a quo in proelio servatus est, testem vitae salutisque perceptae dat. Ea fit e fronde quernea, quoniam cibus victusque antiquissimus quercus capi solitus“, Plutarch. Qu. Ro. 92 διὰ τί τῷ σώσαντι πολίτην ἐν πολέμῳ δρύϊνον διδόασι στέφανον; Serv. in Virg. Aen. VI, 772, Paul. Fest. p. 42, 15, vid. Mercklin. p. 9. Praeterea possis etiam alia perpauca non sine veri specie ex eodem Varronianae doctrinae fonte derivare, veluti nonnulla in l. II c. 4 de ludis, sed memores esse debemus, ubicunque praeter Varronem de eadem re Livius aut Cicero aut alius ex praecipuis Valerii auctoribus tradiderit, hunc nusquam ex illius operibus hausisse, quod multis firmari potest exemplis. Sic narrationem de vacca eximiae formae in agro Sabino inventa, VII, 3, 1 acceptam refert non Varroni, quem eius auctorem exhibet Plutarchus Qu. Ro. 4, sed Livio I, 45. Deinde e Varrone non hausit quae narrat de Sergio Orata, quam-

quam illa de istius viri homine nonnulla affert r. r. III, 3, 10 (quae sua facit Columella VIII, 16, 5); at huc referri potest r. r. III, 17 vel etiam Varronis liber de aestuariis (cf. Val. Max. p. 673, cum expositione Ritschelii Nov. Mus. Rhen. t. VI, p. 554), sed e Ciceronis Hortensio, cuius huc pertinent fragmenta apud Augustinum de vit. beat. 26, quod laudat Kempfius, et apud Nonium p. 194, 13: primus balneola suspendit, inclusit pisces, cf. Val. Max. p. 672, 11—13 (cf. Schneideri commentat. ad Pallad. p. 44), et apud Nonium p. 216, 14: sollertiamque eam posset vel in tegulis proseminare ostreas, cf. Val. Max. p. 673, 10 [1]) Contemplemur igitur severo iudicio eos locos, ubi Valerius ita cum fragmentis librorum de vita P. R. congruit, ut de eorum usu dubitandum non esse videatur, e quibus primus se offert Val. Max. V, 6, 4: „Cui (Aelio praetori) ius dicenti cum in capite picus consedisset, aruspicesque adfirmassent conservato eo fore ipsius domui statum felicissimum, rei publicae miserrimum, occiso in contrarium utrumque cessurum, e vestigio picum morsu suo in conspectu senatus necavit. Decem et septem tum familia eximiae fortitudinis viros Cannensi proelio amisit. Res publica procedente tempore ad summum imperii fastigium excessit", coll. Varr. de vita P. R. III, 3: „P. Aelius Paetus cum esset praetor urbanus et sedens in sella curuli ius diceret populo, picus Martius advolavit atque in capite eius adsedit". Quamquam consensus inter Varronem et Valerium non est exiguus, nondum tamen mihi persuasi, hunc istam historiolam e Varronis tertio libro sumpsisse. Primum enim satis constat, Valerii textum qualem nunc habeamus aliquantum abesse ab eo, qualis ex ipsius Valerii manibus profectus fuerit; neque minus certum est post C. Wachsmuthii disputationem in Nov. Mus. Rhen. XV. 1860 p. 574 sqq., quartum Iulii Frontini strategem. librum maximam partem compilatum esse e Valerii factorum et dictorum memorabilium libris, sic etiam illud caput quod supra proposuimus auctor huius quarti libri transscripsit c. 5, 14, sed nominat L. Aelium praetorem

---

[1] Eodem Ciceronis Hortensio utitur etiam Plinius nat. hist. IX. § 168, quod confirmat casso Brunnius p. 16 nam in indice Plinii auctorum de libro nono sese excipiunt Seneca, quem Plinius laudat § 167, et Cicero, paragraphi autem 170 et 171 maximam partem desumpti sunt ex Varrone r. r., quem nominat § 174 et expilati quidem sunt hi loci r. r. III. 3, 10. 17, 9. 2, 17. 17, 3. Valerii Maximi vero libris Plinius aut in libro naturalis historiae septimo usi non videtur, certe non in eo loco, quem tractamus. Denique Macrobius Satur. III, 15 utitur quidem ipso Varrone, praecipue autem transscribit Plinium. Sed restant apud Plinium et Macrobium quaedam obscuriora, quae alibi expediam

urbanum, cum Valerius dixerit tantum de Aelio praetore, et narrat, ipsum Aelium cum quattuordecim ex eadem familia in proelio occisum esse, cum Valerius ut videtur narraverit, septendecim eius familiae necatos esse (codd „decem et VII. mil. tum familia“ cet.), verba extrema apud Pseudo-Frontinum: hunc quidem non Aelium sed Laelium fuisse, et Laelios non Aelios periisse credunt mi moror, quippe quae aperte ex omissa distinctione post praenominis notam L. exorta sint. Diversa numeri occisorum Aeliorum relatio ex frequenti in codicibus mutatione notae XIIII pro XVII originem ducere potuit. In nomine autem praetoris statuamus necesse est Valerium retulisse non de Aelio sed de L. Aelio, quod discrepet a Varrone, quem P. Aelios scripsisse codicem corruptela Paelius testatur. Itaque Valerius alium auctorem secutus est, quod fulcit etiam Plinii narratio, is enim nat. hist. X, 41 eandem rem refert de praetore urbano Aelio Tuberone, Varro de P. Aelio Paeto, sive igitur eandem sequebatur Plinius auctorem atque Valerius sive diversum, uterque Varrone in hac re non usus est. De ea re, quam Varronem in tertio libro tetigisse fgm. 15 docet: „nam postea G. Lutatio consuli ad Aegatis insulas, cum ipse catapulta ictus esset“, egit etiam accuratissime in capite de iure triumphandi Valerius Maximus II, 8, 2, sed hic scriptor exponit totam sponsionem inter Lutatium consulem et Q. Valerium praetorem, quam Varro qui in singulis rebus se diutius morari nolle professus erat nullo modo suo libro inserere potuit, atque hic id solum spectavit ut commemoraret, Lutatio primo decretum esse triumphum quamvis ipse proelio non interfuisset. Deinde afferri potest Val. Max. II, 8, 6: moris est ab imperatore ducturo triumphum consules invitari ad cenam, deinde rogari ut venire supersedeant, ne quis eo die, quo ille triumpharit, maioris in eodem convivio sit imperii, coll. Varr. de vita P. R. III, 16: ut eius convivium, qui triumpharet, in Capitolio videretur esse proprium, ut ipse potius domum reduceretur cenatus a convivio, coll. Plutarch. Qu. Ro. 80, cuius moris alium testem non invenio, addo Val. Max. IX, 2, ext. 1: „(Karthaginienses) eadem usi crudelitate milites nostros maritimo certamine in suam potestatem redactos navibus substraverunt, ut earum carinis ac pondere elisi inusitata ratione mortis barbaram feritatem satiarent“, coll. cum Varr. de vita P. R. III, 4: „cum Poenus in fretum obviam venisset nostris et quosdam cepisset, crudelissime pro palangis carinis subiecerat, quo metu debilitaret nostros“. His duobus in locis sane certa non obstant indicia,

quin Valerium Varronis de vita P. R. libris usum esse affirmemus, ceteri nil probant, nam quamquam non pauci proferri possunt, ubi argumenti similitudo quaedam facile animadvertatur, imprimis in capitibus de institutis antiquis, de luxuria et libidine, de gratis (cf. Varr. fgm. III, 1), de censoria nota, quales sunt Val. Max. II, 1, 5 coll. cum Varr. fgm. I, 32, Val. Max. II, 5, 5 coll. cum fgm. I, 27, attamen aut ad alios fontes non difficile referuntur aut continent res notissimas, unde nil concludi queat. Quapropter aut nusquam, quod veri est simillimum, Valerius Maximus Varronis libris de vita P. R. usus est aut perraro.

Ab incerto auctore de praenominibus ed. Kempf aliquoties producitur Varronis auctoritas, ut statim ab initio c. 1 sic: „Varro simplicia in Italia fuisse nomina ait existimationisque suae argumentum refert, quod Romulus et Remus et Faustulus neque praenomen ullum neque cognomen habuerint", quod commemoratione non dignum habuissem, nisi Kempfius p. 741 adnotasset: „Credo Varronem hac de re egisse in antiquitatibus aut in libro, quem inscripserat de vita populi Romani". At monendum est, inter tot horum librorum fragmenta nullum pertinere ad Romanorum nomina omnino, cum probabile sit etiam reliquas apud eundem auctorem Varronis mentiones, p. 744, 1 et p. 746, 2 ad idem opus referendas esse atque illam quam proposuimus, tam subtilium quaestionum in his libris non fuisse locum. Igitur ab iis haec fragmenta sunt arcenda, quae prodierunt aut ex alio opere cuius titulus notus aut ex ignoto, veluti de logistorico cogitari potest.

Usi sunt Varronis libris de vita P. R. Asconius, vid. fgm. III, 1, Charisius v. fgm. I, 1, Nonius saepissime, porro Plinius in naturalis historiae lib. XIIII, vid. fgm. IIII, 13 et adnot. ad fgm. I, 32 et I 34, et Gellius n. a. X, 23, Aemilius Asper, celeber Virgilii interpres, cf. fgm. I, 50, quae verba ex huius commentario in Servii commentarium et in Prisciani institutiones grammaticas venerunt, atque ex eodem fluxisse etiam puto adnotationem ad Virg. ecl. VIII, 29 obviam in scholiis Veronensibus; praeterea Servius hoc opus bis laudare videtur, cf. fgm. II, 18. De Dionysio Halicarnassensi dubito, nam Kiesslingius de Dionys. Halic. antiq. auct. Lat. p. 42 quod dicit: „unum fortasse praeterea (praeter antiquitatum libros) Varronis opus inspexit, libros de vita populi Romani, in his enim ut e Servio ad Aen. VII, 176 scimus dicebat quid a quaque gente traxerint per imitationem, atque cum in verbis modo commemoratis quod Romani in epulis sedere solerent a Laconibus repeteret, fortasse ad eundem librum referen-

dae sunt quae apud Dionysium tam saepe occurrunt Romanorum Lacedaemoniorumque morum comparationes", nititur coniectura quam improbandam esse alibi docebo. Item de Ovidio, quamvis aliae desunt loci similes, Ovid. Fast. V, 633 coll. cum fg. II, 11, errat vero, ni fallor, Merkelius in Ovid. Fast. p. C haec dicens: „Quae sequuntur (apud Ovid. Fast. II) de Fornacalibus v. 525, fuerunt apud Varronem de vita P. R., vid. Non. p. 531, 32" (fg. I, 41): hausit illo Ovidius ex Antiquitatum Varronis libris. Quae in Plutarchi Quaestionibus Romanis extant Varronis mentiones, Qu. 2. 4. 5. 14. 27. 90. 101. 105, omnes pertinere ad hoc Varronis opus arbitrabatur Broeckerus in Philolog. t. II. 1847. p. 247, ad Aetia Varronis referebat Mercklinus in Philolog. t. III. 1848. p. 267 sqq., ad antiquitatum libros et ad de vita P. R. libros et ad Aetia Thilo in dissertatione saepe laudata et H. Keilius in Iahnii annal. philolog. 1854. vol. 69. p. 100, id certe dilucide comprobavit Thilo, hoc Varronis opus fuisse unum e praecipuis Plutarchi fontibus, non modo in iis quaestionibus Romanis, ubi Varronis nomen apposuit, verum etiam in multis aliis. Unde Augustinum de vita P. R. libris usum esse concludamus, nullum certum extat indicium. Erravisse enim reor Rossbachium de matrim. Rom. quaestt. p. 369 Augustini verba de Civ. D. VI, 9, 3 extr.: „Priapus nimius masculus, super cuius immanissimum et turpissimum fascinum sedere nova nupta iubebatur, more honestissimo et religiosissimo matronarum," de quo more cf. Arnob. IV, 7 et Lactant. I, 20, 36 e Varronis his libris hausta esse putantem, quae quidem memoria debetur antiqq. rer. div. libris. Usus esse videtur Augustinus de Civ. D. in libris prioribus logistorico, cui inscribitur Curio de deorum cultu et antiquitatum rerum divinarum libris, mentiones vero Varronis fere omnes in posterioribus libris inde a XVIII° ad libros de gente P. R. referendae sunt, si exceperis librum Varronis de philosophia ap. Aug. XVIIII, 1 sqq. commemoratum, et tanquam praeteriens tantum ad antiqq. rer. div. recurrit, veluti XVIII, 23: „Sibyllas autem Varro prodidit plures fuisse non unam," quae verba ad IIII librum antiqq. rer. div. pertinere videntur, cfr. Lactant. I, 6 al. Postremo loco nominandus est Isidorus Hispalensis, qui non raro Varronis facit mentionem in originum libris XX, semel etiam librorum de vita P. R., vid. fgm. I, 28, quod cur non ad librorum de gente P. R. fragmenta rettulerim, alibi accuratius exponam; confiteor tamen remanere in animo meo dubitationes quasdam de fide seu Isidori seu eius codicum. Plerasque enim, aut omnes, ut videtur Varronis mentiones Isidorus ex aliis scriptoribus surripuit, ex Tertulliano,

Google

Isidor. or. VIII, 6, 21. XVIII, 16, 2, ex Lactantio, or. XI, 1, 51. XI, 1, 97, ex Hieronymo, or. XV, 1, 63. VI, 7, 1, ex Augustino, or. I, 3, 1. VIII, 9, 13 (eadem apud Serv. in V. Aen. III, 359), ex Cassiodoro, or. I, 26, 15 (eadem apud Cornutum p. 2284, 17, P.), or. II, 23, 1., ex Servii commentario in Virgilium, or. XIV, 6, 36. XV. 13, 6. XIV, 8, 33. VIII, 7, 3. XX, 10, 1. Sed haec omnia nunc significata potius sunto quam explanata.

M. TERENTI VARRONIS

DE VITA POPULI ROMANI

AD Q. CAECILIUM POMPONIANUM ATTICUM

LIBRORUM QUATTUOR QUAE EXTANT

LIBER I.

1 Neque ille Callicles, quaternum digitum tabellis nobilis cum esset factus, tamen in pingendo ascendere potuit ad Euphranoris altitudinem.

2. Neque enim obsonium in tota cena coemptum ex variis rebus, cum conlectum in unam sportam, perspicitur.

3 Neque ita ut in singulis rebus diutius moremur, ut dixi, atque enodare subtilius velimus.

4 Hanc deam Aelius putat esse Cererem, sed quod in asylum qui confugisset panis daretur, esse nomen fictum a pane dando pandere, quod est aperire.

5 Sed quod ea et propter talem mixturam moderata exacescunt, ita quoque temperatur moderatura Romuli vita triplicis civitatis.

6 Mettium Fufetium propter perfidiam interemit poena imperiosus quam humanus: nam equis ad curriculum ex utraque parte deligatum distraxit.

---

1 Charisius inst. gramm. I. p. 126, 25 ed. Keil. *Digitum pro digitorum Varro ad Atticum de vita P. R. libro I neque ille — altitudinem.*

2 Nonius p. 177, 23: *Sportae Sallustiae. Varro de vita P. R. lib. I: neque enim — perspicitur.*

3. Nonius p. 15, 21 *Enoda significat explana, et quae sit proprietas manifestum est, hoc est nodis exsolve. Accius ... Varro de vita P. R. lib. I: neque — subtilius.* Correxit Mercerus.

4 Nonius p. 44, 7: *Pandere Varro existimat ea causa dici, quod qui ope indigerent et ad asylum Cereris confugissent, panis daretur. Pandere ergo quasi panem dare, et quod numquam fanum talibus clauderetur* (correxit Lud. Carrio antiqq. lectt. I, 3), *de vita P. R. I: hanc deam — aperire.* Aelii nomen restituit Scaliger coniect. in Varr. de l. l. ed. Dord. p. 80. Varro fortasse addiderat „*ideoque a pandendo dictam Pandam.*"

5. Nonius p. 430, 26 *Mixtura et moderatura. Varro de vita P. R. lib. I: sed quod — civitatis.* Emendavit locum Rothius in editione Nonii Basil.

6 Nonius p. 287, 16: *Distrahere dividere, diffundere. Verg. ... Varro de vita P. R. lib. I: Mettium — distraxit. Deligatum* restituit Riccobonus, codd. *diligatum.*

7. Et extra urbem in regiones XXVI agros viritim liberis adtribuit.

8. Quibus erant pecuniae satis, locupletis, assiduos; contrarios proletarios.

9. Cum Lucretia in lucubrando faceret iuxta ancillas lanam

10. Tullum Hostilium in Velis, ubi nunc est aedis deum Penatium, Ancum in Palatio ad portam Mugionis secundum viam sub sinistra

11. Pecunia quae erat parva, ab eo paupertas dicta, cuius paupertatis magnum testimonium est.

12. Aut bovem aut ovem aut verbecem habet signum.

13. Ut in cetero cultu quae sunt consentanea, quod sunt paupertina sine elegantia ac cum castimonia

14. Haec aedis, quae nunc est, multis annis post facta est, namque omnia regiis temporibus delubra parva facta.

15. Quid inter hos Ioves intersit et eos qui ex marmore, ebore, auro nunc fiunt, potes animo advertere et horum temporum divitias et illorum paupertates.

---

7. Nonius p. 43, 9. *Viritim dictum est separatim et per singulos viros. M. Tullius. Varro de vita populi Romani lib. I*: e t e x t r a — a d t r i b u i t. Secutus est Varro Fabium Pictorem, Dionys. Halic. antiqq. Rom. IV, 15. Praecessit tribuum urbanarum mentio

8. Nonius p. 67, 24. *Proletarii dicti sunt plebeii, qui nihil rei publicae exhibeant, sed tantum prolem sufficiant. Cato. Varro de vita populi Romani lib. I*: q u i b u s — p r o l e t a r i o s. *Assiduos nominem vindicem voluerunt locupletis.* Ex republicae Servianae descriptione. Quae extrema leguntur apud Nonium atque emendata sunt a Turnebo advers. XXIX, 15 et 19, sumsit non e Varrone sed e Gellio, n. a. XVI, 10.

9. Nonius p. 321, 33. *Iuxta est coniunctim. Varro de vita P. R. lib. I*: c u m — l a n a m. Correxit locum Popma e Livio 1, 57, Servio in V. Aen. VIII, 646 al.

10. Nonius p. 531, 22. *Secundum non solum numeri et ordinis vel prosperum quod plerumque positum legimus sed etiam iuxta. Varro de vita P. R. lib. I*: T u l l u m — s i n i s t r a. Cf. Solin. Polyhist. ed. Salmas. I. p. 2, E.

11. Nonius p. 43, 32. *Paupertas dicta est a pecunia parva. Varro de vita populi Romani lib. I*: p e c u n i a — t e s t i m o n i u m e s t.

12. Nonius p. 183, 30. *Verbecem. Varro de vita P. R. lib. I*: a u t — s i g n u m. Cf. Plutarch. Qu. Ro. 41 (Thile p. 25) vit. Publicol. c. 11 extr.

13. Nonius p. 162, 21. *Paupertinum. Varro de vita P. R. lib. I*: u t — c a s t i m o n i a. V. Scaliger. coniect. in Varr. de L. l. ed. Durdr. p. 22. Codd. e l e g a n t i a, fortasse recte, cf. Caper de verb. dub. p. 2248 P., C. L. Schneider gramm. Lat. I. p. 16.

14. Nonius p. 494, 7. *Aedis nominativo singulari. Varro de vita P. R. lib. I*: h a e c a e d i s — f a c t a. Codd. s i t n a q u e o m n i a. Ryequius de Capitolio Romano commentar. L. B. 1669 p. 160 errat de aedis Iovis Capitolini tribus cellis cogitans.

15. Nonius p. 162, 17. *Paupertates nunc positum numero plurali. Varro de*

16. Et a quibusdam dicitur esse Virginis Fortunae, ab eo, quod duabus undulatis togis est opertum, proinde ut non reges nostri et undulatas et praetextas togas soliti sint habere.

17 Itaque Kalendis kalabantur, id est vocabantur, et ab eo Kalendae appellatae, quod est tractum a Graecis, qui *καλεῖν* vocare dixerunt.

18 In eorum enim sacris liba cum sunt facta incerni solent farris semine, ac dicere se ea februare, id est pura facere.

19 Quibus temporibus in sacris fabam iactant noctu ac dicunt, se Lemures domo extra ianuam eicere.

20 Quod Kalendis Iuniis et publice et privatim fabatam pultem dis mactant.

21 Etiam pellis bubulas oleo perfusas percurrebant, ibique cornua

---

vita P. R. lib. I: *quid — paupertates*. Loquitur de loco Capitolino Sotib. v. Plin. n. h. XXXIV, § 34. XXXV, § 157. Propert. IV, 1, 5. Huius simulacri memor, non Dianae Aventinensis, Th. Mommsen hist. Rom. ed. III. vol. I p. 232 adnot., dixit Varro antiquos Romanos plus annos centum et septuaginta duos sine simulacro coluisse, i. e. inde a Romulo usque ad Tarquinii Prisci aetatem, Augustin. d. C. D. IV, 31 et Plutarch. Num. c. 8, vid. Zoegam, de orig. et us. obelisc. Rom. 1797 p. 225.

16. Nonius p. 188, 25. *Undulatum ucre positum, purum. Varro de vita P. R. I.: et a — habere.* Quod Varro cum Ovidio Fast. VI, 563, Dionys. Halic. IV, 40, Valer. Maxim. I, 8, 11 habet signum Servii Tullii regis, quidam quae sequuntur Plinius n. h. VIII, § 197 et Dio Cassius 58, 7 putaverunt esse Fortunae.

17. Nonius p. 23, 21. *Kalendarum vocabulum proprium Varro complexus est de vita populi Romani lib. I.: itaque — dixerunt.* Supplendum videtur v. *Nonae*, v. Varr. de l. l. VI, 27.

18. Nonius p. 114, 20. *Februare positum pro purgare et purificare. Varro de vita P. R. lib. I.: in eorum — facere.* Riccob., Mercer., Prellerus mythol. Rom. p. 118 *semina*, sed v. Heindorf in Hor. sat. II, 4, 75. Nam Lupercorum sacra sunt intelligenda, debito, v. Censorin de d. n. p. 68, 4. Cfr. Müller ad Paul. Fest. p. 85, 13.

19. Nonius p. 135, 18. *Lemures, larvae nocturnae et terrificationes imaginum et bestiarum. Varro de vita P. R. lib. I.: quibus temporibus — eicere.* Vid. Paul. Fest. p. 87, 13 et Ovid. Fast. V, 435 sqq.

20. Nonius p. 341, 28. *Mactare est immolare. Virg. — Varro de vita populi Romani lib. I.: quod — mactant.* Palmerius spicil. ap. Gruter. Lamp. t. IV p. 783 *quot Kalendis*, quod fortasse probandum. Vid. praeterea Ovid. Fast. VI, 169, Plin. n. h. XVIII, § 118, Macrob. Sat. I, 12, 33, Fest. p. 277*, 24. Merkel. in Ovid. Fast. p. CLXXXII *fabaciam* contra auctoritatem Festi et Plinii.

21. Nonius p. 21, 6. *Cernuus dicitur proprie inclinatus, quasi quod terram cernat. Lucilius. — Varro de vita populi Romani lib. I.: etiam — cernualia.* De cernuandi (*κυβιστᾶν*) lusu v. Serv. in V. Aen. X, 894, Virg. Georg. II, 384 et Serv. in h. l. In versu octonario iambico nil mutandum.

bant, a quo ille versus vetus est in carminibus „Ibi pastores ludos faciunt coriis Consualia.“

22 Primum de re familiari e partubus, secundo de victuis consuetudine primigenia, tertio de disciplinis priscis necessarius vitae.

23 Nonius p. 531, 10 Nubentes veteri lege Romana asses III ad maritum venientes solere pervehere atque unum, quem in manu tenerent, tamquam emendi causa, marito dare, alium, quem in pede haberent, in foco Larum familiarium ponere, tertium, quem in sacciperione condidissent, compito vicinali solere sacrare. *Inde Virg. Georg. lib. I. „teque sibi generum Tethys emat omnibus undis.“ Quos ritus Varro lib. I. de vita P. R. diligentissime percucurrit.*

24 Qui primus uxorem ducebat, duabus culcitis ac duabus toros plagulis cum strasset.

25 Nonius p. 530, 26 *Quod ludis pueri praesules essent glabri ac depiles propter aetatem, quos antiqui Romani lydios appellabant, ut est in lib. I. Varronis de vita P. R., ideo Plautus in Aulularia „tu istam gallam, si sapis, glabriorem reddes mihi, quam vulsus lydius.“*

26 Qua fini sit antica et postica. In postica parte erat colina, dicta ab eo quod ibi colebant ignem. Locupletiorum domus quam fuerint angustiis paupertinis coactae, ipsa nomina declarant.

27 Ad focum hieme ac frigoribus cenitabant, aestivo tempore in loco

---

22 Nonius p. 494, 11 *Victuis pro victus. Varro de vita P. R. lib. I.* partuum — vitae. Codd. ab partibus, vulgo ab patribus, vel a patribus.

23 A. Rossbachius de matrimon. Roman. p. 374 neglegentes versatum esse Nonium affirmat in excerpendo Varrone, certe non ipso ductu sui verba conspicue, sed excerpsisse tantum; mihi Nonius videtur Varronis locum ad verbum expressisse. Neque opus est scribere saccipiris, quae forma semel reperitur Plaut. Rud. II, 1, 14. In extremis verbis codd. soleas rassuare, alius aliud placuit, Rossbachius p. 373 solere resonare, quod non est Latine dictum. Quod scripsi proxime abest a codd. lectione.

24 Nonius p. 86, 6 *Culcita Varro. Idem de vita P. R. lib. I.* qui — strasset.

26 Nonius p. 55, 23 *Colinam veteres coquinam dixerunt, non ut nunc vulgus putat. Varro. Varro de vita populi Romani lib. I.* qua fini — declarant. Qua fini i. e. quatenus, Fest. p. 258b, 32 sic saepius apud Catonem, Gellium al. Eandem vocis colina etymologiam protulerat Varro in antiqq. rer. div. testante Servio in V. Aen. III, 134. Palmerius spicileg. op. Gruter. Lamp. t. IV p. 772 vult a. Qua fini sit antica et postica habet capituli titulum, praeter necessitatem.

27 Nonius p. 83, 14 *Cibarias sunt villarum intra maceriam spatia. Varro. Idem de vita P. R. lib. I.* ad focum — tabulis fabricatum. Cf. Valer. Max. II, 5, 5.

Digitized by Google

propatulo, rure in chorte, in urbe in tabulino, quod Maenianum possumus intellegere tabulis fabricatum

*28. Isidorus origg. XX, 11, 9: *Sedes dictae, quod apud veteres Romanos non erat usus accumbendi, unde et considere dicebantur. Postea, ut ait Varro de vita populi Romani, viri discumbere coeperunt, mulieres sedere, quia turpis visus est in muliere accubitus.*

29. Nonius p. 59, 5: *Nefarii proprietatem in lib. I de vita populi Romani Varro patefacit, a farre:* „quod ulorcum est, qui scelerati ubi non debeant, non triticum sed far." *Hoc quoque idem adsignificat, quod qui indigni sunt qui vivant nefarii vocantur. Adoreum quoque ab eo dictum putat, quod cibi era, id est principium, sit far.*

30. Pastillos et panes, haec vocabula pastus, quod „esse" tum „pascere" dicebant.

31. Proinde ut elixum panem ex farre et aqua frigida fingebant.

32. Quantopere abstemias mulieres voluerint esse, vel ex uno exemplo potest videri.

---

28. Codd. *considere*, Arevalus *considisse*. Cf. Valer. Maxim. II, 1, 2. Veteres feminas quidem esse sedentes, cumque morem a Laconibus et Cretensibus in Italiam pervenisse, commemorerat Varro etiam in libris de gente P. R. (III aut IIII), teste Servio in V. Aen. VII 176, quem locum ad libros de vita P. R. referre conati sunt Kruhnerus de Varr. antiqq. libb. p. 40, Francknius fgm. Varr. q. in ven. in libb. Aug. d. C. D. p. 125, Ritschelius Nov. Mus. Rhen. VI p. 508, A. Kiesslingius, de Dionys. Halicarn. antiqq. auctt. Latt. p. 42, cui adversatus est Merkhinus in Philolog. t. III p. 271. Isidorus haust aliunde ac Servius, fortasse a Suetonio Tranquillo, cf. Reifferscheid. quaestt. Suetor. p. 423 et p. 436.

29. Varronis verba fuerunt fere haec: „Far, unde nefarii dicti, qui indigni erant qui vivant, quod adoreum est, unum (codd. in) quo scelerati uti non debeant, non triticum, sed far. Adoreum autem ab eo dictum, quod cibi era, id est principium, sit far."

30. Nonius p. 63, 20: *Panis proprietatem a pascendo putant veteres aestimandam. Varro de vita populi Romani libro I: pastillus — dicebant.* Codd. *quod esset pascere.* Cum *haec vocabula pastus* compone Varr. de l. l. VII, 80. De v. *pascere* v. Luc. Müllerum, de re metrica poet. Lat. p. 415.

31. Nonius p. 62, 13: *Lixarum proprietas haec est, quod officium sustineant militibus aquae vehendae; lixam namque aquam veteres vocaverunt, unde elixum dicimus aqua coctum. Lix etiam cinis dicitur, vel humor cineri mixtus, nam etiam nunc id genus lixivium vocatur. Varro de vita populi Romani lib. I: proinde — fingebant.*

32. Nonius p. 68, 32: *Abstemius. Varro de vita P. R. lib. I: quantopere — videri.* Fragmenta 32. 33. 34 sunt de mulierum abstinentia, qua tota fere Varronis usi sunt Gellius n. a. X 23, 1: „Qui de victu atque cultu populi Romani scripserunt" (i. e. imprimis Varro) sqq., Plinius n. h. XIV § 89, Plutarchus Qu. Ro. VI et *Tertullian. apol.* p. 244 A, Schol. Veronens. in V. Aen. VIII, 29 p. 75, 28 ed. K.,

*33 Ideoque hoc ab ore dicitur osculum, non a suavitate, unde savium quod suave sit savium.

34 a. Antiquae mulieres maiores natu bibebant loram aut sapam aut defrutum aut passum, quam murrinam quidam Plautum appellare putant

b. tum autem murrina, loram dicebant in vindemia cum expressissent acinis mustum et folliculos in dolium coniecissent

c. Passum nominabant si in vindemia uvam diutius coctam legerent eamque passi essent in sole aduri

d. vino addito lorae passum vocare coeperunt, muriolam nominabant, cum quod ex uvis expressum erat passum et ad folliculos reliquos et vinacea adiciebant sapam

e. Sapam appellabant, quod de musto ad mediam partem decoxerant; defrutum, si ex duabus partibus ad tertiam redegerant defervefaciendo.

35 Nec pistoris nomen erat nisi eius qui ruri far pinsebat, nominati vero ab eo quod pinsunt.

36. Praeterea quod in lecto togas ante habebant, ea enim olim

---

Serv in V. Aen. I, 737, alii. Exemplum illud de quo locuturus est, est osculandi mos, quo relato narrata fuisse videntur alia exempla, veluti Egnatii Metenni, Fauni uxoris

33 Nonius p 424, 14: *Osculum et savium hic intellectione discernuntur, quod ab ore osculum, savium a suavitate dicitur Varro de vita P R I.: ideoque — quod simile sit savium* Codd. *quod simile sit savium*, Hauptius procem schol aest. Berol. 1856 p 7: *quod simile sit savillo*. Libro I adsignavit Rothius Vid Fest p. 197$_{m}$ 28.

34 a. Nonius p 551, 15 *Lora confectae potionis genus, grandaevis aptum. Varro de vita P R. lib I antiquae — putant* V Plaut. Pseudol. II, 4, 51

b. Nonius p 551, 5: *Murrina potio confecta Varro*: *Varro de vita P R lib I tu autem — coniecissent*

c Nonius p. 551, 27 *Passum Varro de vita P. R lib I passum nominabant — in sole aduri*

d Nonius p 551, 30 *Muriolam Varro de vita P R lib I vino addito — sapam dicebant* Codd *eum intendebat quod ex*, scripsi *nominabant cum (quum) quod ex*. Extrema verba emendavit Popma

e Nonius p 551, 25 *Sapa quod nunc mellacium dicimus mustum ad mediam partem decoctum. Varro de vita P R lib I sapam — defervefaciendo*. Cum Varrone facit Columella de r r XII, 19, 1 21, 1 26, 3, invertit rationem decoquendarum partium Plinius n h XIV, § 80, quem sequuntur alii

35 Nonius p 152, 13: *Pinsere tundere vel molere Varro Idem de vita P R. lib I nec — pinsunt*. Particulam *vero* (*a*) addidi, cum codices habeant litteram *a* Cfr Varr satur ed Oehl. 86, 13 et Plin n h XVIII, § 108.

36 Nonius p 540, 33 *Toga non solum viri sed etiam feminae utebantur*

Digitized by Google

fuit commune vestimentum, et diurnum et nocturnum, et muliebre et virile.

37. Posteaquam binas tunicas habere coeperunt, instituerunt vocare subuculam et indusium.

38. Castula est palliolum praecinctui, quo nudae infra papillas praecinguntur, quo mulieres nunc et eo magis utuntur, postquam subuculis desierunt.

39. Et quod mulieres in adversis rebus ac luctibus, cum omnem vestitum delicatiorem ac luxuriosum postea institutum ponunt, ricinia sumunt.

40. Minores natu capite aperto erant, capillo pexo vittisque innexis crinibus.

41. Coculа, qui coquebant panem primum sub cinerem postea in forno.

42. Itaque ea sibi modo ponere ac suspendere, quae utilitas postularet: trulleum, matellionem, pelvim, nassiternam, non quae luxuriae causa essent parata.

43. Dicuntur enim patellae, salini, acetabula, catini, patinae.

*44. Urceolum aquaemanalem vocamus, quod eo aqua in trulleum ef-

Afranius. Varro de vita P. R. lib. I. praeterea — et virile. Cf. Serv. in V. Aen. I, 289.

37. Nonius p. 542, 22. *Subucula.* Varro de vita P. R. lib. I. posteaquam — et indusium. Loquitur Varro de vestitu muliebri.

38. Nonius p. 548, 22. *Caltulam et crocotulam, utrumque a generibus florum translatum, a caltha et a croco. Virg. ... Sed castulam Varro de vita P. R. lib. I palliolum breve voluit haberi:* castula — subuculis desierunt. Riccobonus et Popma arbitrantur verba: *Castula est palliolum — desierunt* esse Nonii contra grammatici consuetudinem. De v. praecinctui v. Müller ad Varr. de l. l. V, 109.

39. Nonius p. 542, 5. *Ricinium, quod nunc mafurtium dicitur, palliolum femineum breve. Varro ... Idem de vita P. R. lib. I.* et quod — ricinia sumunt.

40. Nonius p. 236, 27. *Apertum, nudatum. Turpilius ... Varro de vita P. R. lib. I.* minores natu — crinibus. Codd. pexo utique, Popma: pexo vittisque.

41. Nonius p. 531, 31. *Fornum et fornacem dicuntur a formo (sic legendum, v. schol. Veron. in V. Aen. IV, 146, Paul. Fest. p. 83, 11) quod est calido, unde forcipes quod candens teneant ferrum, ut Virg. ... Varro de vita P. R. lib. I.* cocula — forno. *Cuius utrumque vocabulum a formo ductum, id est a caldore.* Vid. Müller ad Paul. Fest. p. 39, 3.

42. Nonius p. 547, 4. *Trulleum, quo manus perluuntur. Varro de vita P. R. lib. I.* itaque ea — parata. *Suspendere* add. ex mss.

43. Nonius p. 546, 13. *Catinus. Varro ... Idem de vita P. R. lib. I.* dicuntur — patinae.

44. Nonius p. 547, 8. *Trulleum, quo manus perluuntur. Varro de vita P. R. lib. I.* itaque ea — parata. *Eene urceolum aquae manalem* — *nomen ef-*

funditur. Unde manalis lapis appellatur in pontificalibus sacris, qui tunc movetur, cum pluviae exoptantur. ita apud antiquissimos manalem sacrum vocari quis non noverit? unde nomen illius.

45 Item ex aere, ut urnulae, aquales, matulae, sic ceterae.

46 Item erant vasa vinaria: sini, cymbia, culignae, paterae, gutti, sextarii, simpuvium.

47 Etiam nunc pocula quae vocant capulas ac capides, item armillum, quod est urceoli genus vinarii.

48 Quod, antequam nomen dolii prolatum, cum etiam id genus vasorum calpar diceretur, id vinum calpar appellatum.

49 Antiquissimi in conviviis utres vini primo, postea tinas ponebant, id est modiolos cum operculo, ac cupas, tertio amphoras.

50 Lepestam dicebant, ubi erat vinum in mensa positum, aut galeolam aut sinum, tria enim haec similia sunt, pro quibus nunc acratophoron ponitur.

---

lius. Fragmenta I, 42 et I, 44 nunc in Nonii codicibus connexa leguntur interposito vocabulo *sive* quinque scripsi et, ita hunc modum: — *causa essent parata. Et aerarium — illius.* De manali lapide v. Paul. Fest. p. 128, 2, 12. Pro *noverit* sive dubie restituendum *norit* v. Spengel emendat. Varron. spec. I 1830 p. 5.

45 Nonius p. 544, 8 *Urnula est vas aquarium.* Varro de vita P. R. lib. I: *item ex aere — sic ceterae.*

46 Nonius p. 545, 27: *Cymbia* Virg.… Varro de vita P. R. lib. I: *item erant — simpuvium.*

47. Nonius p. 547, 15: *Armillum, urceoli genus vinarii.* Varro de vita P. R. lib. I: *etiam nunc — vinarii.* Quae verba in codd. leguntur inter *capides* et *item quod est poculi genus* recte event Popma quippe quae cum praecedentibus *etiam nunc pocula quae vocant* nullo modo constare possunt.

48 Nonius p. 546, 32 *Calpar nomine antiquo dolium.* Varro de vita P. R. lib. I: *quod — appellatum.* *Id genus vasorum* i. e. dolia. Varro dicturus erat, nomen vini translatum esse a dolii nomine, v. Paul. Fest. p. 46. 17. Item ex compluris quae exst. apud Paul. Fest. p. 65. 13 (v. Scalig. coniect. ad Varr. de L. L. ed. Durdr. p. 15), quibuscum conveniunt Isidori gloss. „*Calpar, vinum quod primum levatur e dolio,*" restituas apud Varronem „*antequam nomen dolio promium*" vox *promere* est propria.

49 Nonius p. 544, 4: *Cupas et tinas.* Varro de vita P. R. lib. I: *antiquissimi — tertio amforas.* Codd. *id est mari longi* quae coniecerunt viri dd. minime satisfaciunt, interim scripsi *id est modiolos*, ne esset lacuna.

50 Scholia Veronensia in Virg. ecl. VII, 33 ed. Keil p. 75, 6: *(Sinum lactis) Asper Sinum est vas vinarium, ut Cicero significat, nos ut quidam lactarium. Plautus in Curculione … Sinum ergo vas patulum (quod et masculine sinus vocitatum, hic autem sinum lactis vas quodcumque lacte constans.* Varro de vita P. R. lib. I: *(lepestam) dicebant — quibus nunc (acratophor)on ponitur.*

Digitized by Google

51. Ut fere habent aeneum qui venditant oleum; lepistae etiam nunc Sabinorum fanis pauperioribus plerisque aut fictiles sunt aut aeneae

*52 Facibus aut candela, simplici aut ex funiculo facta cera vestita, quam ubi alligebant, appellarunt funalia

53. Qua frontem lecticae struebant, ex ea herba torta torum appellatum; hoc quod mcitur, etiam nunc toral dicitur; lecticam qui involvebant, segestria appellabant.

Servius in Virg. ecl. VII 33: *Sinum lactis, sinus genus est vasis, quod cum significamus, Si producitur. cum vero gremium significamus, Si corripimus. Varro de vita populi Romani. aut lepistam, aut galeolam, aut sinum dicebant. Tria sunt pro quibus nunc acratoforum dicitur*

Priscianus inst. gramm. VI ed. H. I p. 262, 24: *Gradus quoque quartae est, ut ostendimus, et sinus, dicitur tamen hoc sinum i producto et significat vas. Varro de vita populi Romani libro I: ubi erat sinum in mensa positum aut galeola aut sinum*

Nonius p. 547, 18: *Sinum et galeola, vasa vinaria. Virg. in Bucolicis. Varro de vita P. R. lib. I: ubi erat sinum in mensa positum aut galeola aut sinum „lepistam dicebant ubi“* cf. Varr. de l. L. V, 127 VIII, 55, Unger de C. Valg. Ruf. poemm. p. 268; Aspro usi esse videntur Servius et Priscianus, quare illum i. e. schol. Veron. prae ceteris in Varronis verbis constituendis secutus sum

51 Nonius p. 547, 23: *Lepistae Varro de vita P. R. lib. I: ut fere — aut aneae.* Codd. *aeneum aliqui erudriant,* restitui *aeneum qui erudriant, r. e ut pleremque habent homines vas aeneum in quo oleum venditent,* ni forte *ale r n alee* est referendum.

52 Servius in Virg. Aen. I, 727: *Funalia sunt, quae intra ceram sunt unde autem sunt dicta? A funibus quos ante usum papyri cera circumdatos habuere maiores. Unde et funera dicuntur, quod funes incensos mortuis praeferebant. Alii funalia appellarunt, quod in fune ut circandela lucet* (sic Barthius ad Claudiae. Epithal. Hon. v. 206), *quos Graeci* σχοίνους *vocant. Varro de vita Pop. Rom. Facibus — funalia. Nonnulli apud veteres candelabra dicta tradunt, quae in capitibus uncinos haberent, quibus affigi solebant vel candelae vel funes pice delibuti, quae interdum erant ignera, ut gestari manu et praeferri magistratibus a coena revenientibus possent.* Codd. *ex eo funiculo facto, earum vestigia qui ubi* (cod. Fuldens. *quod ubi*) *in figebant,* Salmasii et Danielis coniecturae non satisfaciunt. quod scripsi cum testimonio veterum optume congruit. E Servio hausit Isidorus et scribit origg. XI, 2, 34, qui locus ex hunc modum est emendandus „quos ante feretrum ante usum papyri cera circumdatos ferebant."

53 Nonius p. 11, 13: *Tororum et toralium* (sic scribendum puto pro codd. lect. *toriolum et torralium*) *designatur est Varro de vita P. R. libro I: quod frontem — appellabant.* Codd. *quod frontem,* Müllerus in Varr. de l. L. V, 166: *qua frontem.*

Google

LIBER II.

1 Ut noster exercitus ita sit fugatus, ut Galli Romae sint potiti neque inde ante sex menses cesserint.

†2 Auri pondo duo milia acceperunt ex aedibus sacris et matronarum ornamentis, a quibus postea id aurum et torques aureae multae relatae Romam atque consecratae.

3 Quibuscum turpe fecerant foedus sine publico consilio, dederunt hostibus. Quid quod Decius imperator pro exercitu salute se dis Manibus devovit.

4 Qua abstinentia viri mulieresque Romanae fuerint, quod a rege munera eorum noluerit nemo accipere.

5 Multi praediti pudore et pudicitia adulescentis perierunt, cum maiorem partem eius gradus aetatis stipendia facerent.

Liber II, 1 Nonius p 498, 17: *Genitivus pro ablativo M Tullius* … *Varro de vita P R lib II* ut noster — cesserint. Codd *Romae Capitolio sint*, Mercerus. *Romae sint* (fort *Romae excepto Capitolio sint*)

2 Nonius p 228, 13: *Torquem generis masculini. Lucilius* … *Femininum Varro* … *Idem de vita P R libri I* auri pondo — consecratae Codd lib I, Popma lib II Niebuhrius hist. Rom (ed II Berol 1830) vol. II p 620 sine necessitate *ornamentis aureis, postea* De pretio, quo sese redemerint Romani, v Plinium n h XXXIII, § 14

3 Nonius p. 481, 17: *Exerciti vel exercituis pro exercitus. Accius* … *Varro de vita P R lib II* quibuscum — devovit Codd *hosti*, quod fortasse tolerari poterat … *quicum — dederunt hosti* ' Cod Leid *quodquod*, cett codd *quotquot*, Palmerius spicil ap Gruter Lamp t IV p 780 *quid, quod* Codd *exercitu*, restituendum *exercitus*

4 Nonius p. 532 12: *Negativas duas pro negatione una accipiendas Varro monstravit de vita P R lib. II* qua abstinentia — accipere Simile duplicis negationis unum exemplum apud Varr sat 11 22 ed Oehl Praeterea v Plutarch vit Pyrrh c. 18, Iustin XVIII 2

5 Nonius p 494 15: *Gradus pro gradus* Varro de vita P R lib II multi praediti — stipendia facerent Codd "multi et dixerunt, sed Leidensis *dixrunt*, superscr. *x*, unde facile efficitur *perierunt (pierunt)* Sententia haec est „Cum maior pars adulescentiae, nempe anni 17 sqq usque ad 30, consumeretur in stipendiis faciendis, consentaneum est, (aut omnino illis temporibus aut nescio qua in pugna) multos periisse adulescentes, et prae ceteris eos qui praediti erant pudore et pudicitia, cum ignavi periculis non soleant se committere." De graduum aetatis distinctione v Censorinum de d n p 33, 8 quocum consentit Varro de vita P R. II, 11 Servius in V Aen V, 295 Varronis sententiam non assecutus est

Google

6. Distractione civium elanguescit bonum proprium civitatis, atque aegrotare incipit et consenescit.

7. Propter res secundas sublato metu non ea communia spectant, sed suum quisque diversi commodum focilantur.

8. Quod idem dicebantur consules et praetores: quod praeirent populo, praetores; quod consulerent senatum, consules.

9. Itaque propter curam locus quoque, quo suam quisque domo senator conferret, curia appellatur.

10. Itaque quod hos arbitros instituerunt populi, censores appellarunt; idem enim valet censere et arbitrari.

11. Cum in quintum gradum pervenerant atque habebant sexaginta annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi atque otiosi. Ideo in proverbium quidam putant venisse ut diceretur sexagenarios de ponte deici oportere, id est, quod suffragium non ferant, quod per pontem ferebant.

12. Hoc intervallo primum forensis dignitas crevit atque ex tabernis lanienis argentariae factae.

---

6. Nonius p. 287, 9: *Distrahere, separare.* Terentius... *Varro de vita P. R. lib. II:* distractione — consenescit. Cf. Varr. de l. L. X, 16, Lucret. IV, 1116.

7. Nonius p. 481, 11: *Focilatur.* *Varro de vita P. R. lib. II:* propter — focilatur. Codd.: *fucilatur*, quod fortasse non erat improbandum.

8. Nonius p. 23, 28: *Consulum et praetorum proprietas, quod consulant et praeeant populo, auctoritate Varronis ostenditur, de vita populi Rom. lib. II:* quod idem — consules. Codd.: *senatus*, quod iam in ed. princ. correctum est. Cf. Paul. Fest. p. 223, 7, Liv. III, 55 et Schwegler. hist. Rom. vol. II, p. 114.

9. Nonius p. 57, 2: *Curiam a cura dictam Varro designat, de vita populi Romani lib. II:* itaque — appellatur. Extrema verba emendavit Popma; codd. *curiam appellat*. Praeterea codd. *domum*, Mercerus: *domo*. Lipsius epist. quaest. IV, 23: *qua sententiam quisque senator*.

10. Nonius p. 519, 20: *Censere et arbitrari veteres cognatione quadam socia ac similia verba esse voluerunt.* Varro ... *Varro de vita P. R. lib. II:* itaque — arbitrari.

11. Nonius p. 523, 22: *Sexagenarios per pontem mittendos male diu popularitas intellexit, cum Varro de vita P. R. lib. II honestam causam religiosamque patefecerit:* cum in quintum — per pontem ferebant. De quinto gradu v. Varron. ap. Censor. d. d. n. p. 33, 8. Tum v. Paul. Fest. p. 75, 7, Fest. p. 334, 16 al. ap. Ianum in Macrob. Sat. I, 5, 10.

12. Nonius p. 532, 18: *Tabernas non vinarias solum, ut nunc dicimus, sed omnes, quae sunt popularis usus, auctoritas Romana patefecit.* *Varro de vita P. R. lib. II:* hoc intervallo — factae. Cf. Ritschel prooem. schol. aestiv. Bonn. 1845 p. V. Intra annos 305/449 et 444/310 ex tabernis lanienis argentariae factae sunt, cf. Liv. III, 48 et IX, 40.

13. Itaque bella et tarde et magna diligentia suscipiebant, quod bellum nullum nisi pium putabant geri oportere; priusquam indicerent bellum iis, a quibus iniurias factas sciebant, fetiales legatos res repetitum mittebant quattuor, quos oratores vocabant.

14. Verbenarius ferebat verbenam, id erat caduceus pacis signum, quam Mercurii virgam possumus aestimare.

15. Stipendium appellabatur, quod aes militi semenstre aut annuum dabatur; cui datum non esset propter ignominiam, aere dirutus esset.

16. Cum a nova nupta ignis in face adferretur foco eius sumptus, cum faxs ex spinu alba esset, ut eam puer ingenuus adferret, contra a novo marito cum idem e foco in titione ex felici arbore et in aquali aqua adlata esset.

17. Mensae anteponebantur cum culito ac vino quod quae veniebant ad foetam amicae gratulatum, dis mactabant.

---

13. Nonius p. 529, 17 *Fetiales apud veteres Romanos erant, qui sancto legatorum officio ab his, qui adversum P R m aut rapinis aut iniuriis hostili mente commoverant, pignera facto foedere iure repetebant nec bella indicebantur, quae tamen pia vocabant, priusquam id fuisset fetialibus denuntiatum.* Varro de vita P. R. lib II *itaque bella — oratores vocabant.* Idem lib III *ai saius sqq* In primis verbis secutus sum Niebuhrium hist. Rom. (ed II Berol 1827) vol I p 314

14. Nonius p. 528, 17 *Caduceus, pacis signum* Varro pronuntiat de vita P R lib II *verbenarius — possumus aestimare* Codd *vam Mercurs*, scripsi *quam Mercurii* Cf Plin n h XXII § 5 et Gell n A X, 27, 3 Serv in V Aen IV 242

15. Nonius p. 532, 7 *Aere diruti appellabantur milites quibus propter ignominiam stipendium id est merces menstrualis aut annua, quae esset in annonis aereis, subtrahebatur* Varro de vita P R lib II *stipendium — aere dirutus esset* Codd *aea sit* Cf. Paul Fest. p. 69 17 prolegom. p 10.

16. Nonius p. 112 25 *Faxs pro face* Varro Idem de vita P R. lib II *cum a nova nupta — ingenuus adferret* Nonius p 182, 19 *Titionem, fustem ardentem* Varro de vita P R lib II *contra a novo marito — adlata esset* Nonius p. 302, 5 *Felix, fructuosus, ferax Virg —* Varro de vita P R lib II *contra novo allata esset* Codd *fax*, pro quo recte Vahlenus coniect. In Varr sat. Men p 81 restituit *faxs* Porro codd *ex pina*, Scaliger coniect, in Varr de l l ed Dordr p 28 *ex spina*, et sic Thiel p 22 et Vahlenus anal. Non p 24 Pro *cum item e foco* quod est in codd, facili negotio restituitur *e idem (i e ignis) e f.*, nec necessarium quod proponit Thiel *arbore ignis et in.* Coniungenda esse verba a Nonio p 112 tradita cum iis quae idem p 182 et p 302 tradidit vidit primus Scaliger

17 Nonius p. 312, 10 *Foetum, onere levatum Virg —* Varro de vita P R lib II *mensae — mactabant* Codd *ac uno in quoque veniebant*, De *s ... ctare* vid Varr de vita P R I, 20 *Amicae* est nom plur Cf Tertullian de anima 39, Preller mythol Rom pag 134 et 243

Digitized by Google

18. Natus si erat vitalis ac sublatus ab obstetrice, statuebatur in terra ut auspicaretur rectus esse, dis coniugalibus, Pilumno et Picumno, in aedibus lectus sternebatur.

19. Sic in privatis domibus pueri liberi et puerae ministrabant.

20. In conviviis pueri modesti ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudis erant maiorum, et assa voce et cum tibicine.

21. Nec minus alio in genere sunt ludi velitus Galli, Germani petauristae.

22. Tunicas neque capitia neque strophia neque zonas.

23. Neque id ab orbitu matrum familias instituti, quod eae pectore ac lacertis erant apertis, nec capitia habebant.

24. Nihilo magis propter argenti facti multitudinem manserat in cena, quod propter censorum severitatem nihil luxuriosum habere licebat.

---

18. Nonius p. 528, 13. *Pilumnus et Picumnus dii praesides auspiciis coniugalibus deputantur.* Varro de vita populi Romani lib. II: a n t e a s i e r a t — s t e r n e b a t u r. Servius in Virg. Aen. X, 76: *Varro Pilumnum et Picumnum infantium deos esse ait, eisque pro puerpera lectum in atrio sterni, dum exploretur an vitalis sit qui natus est.* Servius in Virg. Aen. IX, 4: *(Pilumnum et Picumnum) Varro coniugales deos suspicatur.* Cf. Preller mythol. Rom. p. 339.

19. Nonius p. 156, 16: *Puerae pro puellae. Varro* ... *Idem de vita P. R. lib. II:* *s i c — m i n i s t r a b a n t.* Cum privatis domibus oppositae sint aedes deorum, suspicor, praecessisse mentionem camillorum, de quibus v. Varr. d. l. L. VII, 34, Paul. Fest. p. 43, 13 et p. 63, 11 et p. 93, 9, Macrob., Serv., Dionys. Halic.

20. Nonius p. 77, 3: *Assa voce, sola voce, linguae tantummodo aut vocis humanae, non admixtae alias musicis, esse voluerunt.* Varro de vita P. R. lib. II: *i n c o n v i v i i s — c u m t i b i c i n e.* De eadem re v. Catonem in originibus, alios, cf. Niebuhr. hist. Rom. 1 p. 293, Schwegler hist. Rom. I. p. 54.

21. Nonius p. 56, 31: *Petauristae a veteribus dicebantur, qui saltibus vel schemis levioribus moverentur, at haec proprietas a Graeca nominatione descendit, ἀπὸ τοῦ πετάσθαι.* Varro ... *Idem de vita populi Romani lib. II:* *n e c m i n u s — p e t a u r i s t a e.*

22. Nonius p. 542, 26: *Capitia, capitum tegmina.* Varro de vita P. R. lib. II: *t u n i c a s — z o n a s.* *Idem in eodem:* *n e q u e i d* ... *agg.* *Haec et capitula appellant.* Nonii interpretatio falsa est, v. Varron. d. l. L. V, 131, de vita P. R. II, 23, Laber. ap. Gell. XVI, 7, 9.

23. Nonius p. 542, 27: *Capitia, capitum tegmina.* Varro de vita P. R. lib. II: *t u n i c a s n e q u e* ... *agg.* *Idem in eodem:* *n e q u e i d* ... *h a b e b a n t.* *Haec et capitula appellant.* Verbum quod est *instituere* positum videtur ad analogiam v. *docere.*

24. Nonius p. 455, 26: *Multitudo cum sit numeri populorum, ut quidam putant, Varro pro multo non absurde etiam adscripsit, de vita P. R. lib. II:* *n i h i l o m a g i s — l i c e b a t.* Codd.: *multitudinem in erat furandum.* Lambecius prodrom. lucubr. Gellian. (Paris. 1647) p. 50, prob. I. G. Schneidero, scriptt. R. R. IV, 3 p. 90: *multitudinem eius erat exercendo.* Sermo est de P. Cornelio Rufino, qui bis fuerat consul et dictator, a C. Fabricio Luscino, Q. Aemilio Papo censoribus a. 478/276 senatu moto, quod habebat decem pondo argenti facti, de qua re multi auctores.

25 Aut aliqua ex argentaria trutina aut lingua pensum prae se omnes ferent.

LIBER III.

1 Asconius in Cicer. orat. in Pisone 22, 52 ed. Baiter p. 13: *Varro quoque in libro III de vita populi Romani, quo loco refert quam grates fuerit erga bene meritos, dicit Mutini quod in Sicilia cum equitatu suo transierat ad nos, civitatem Romae datam aedesque et pecuniam ex aerario.*

2. Delphos Apollini munera missa: corona aurea pondo ducentum.

3 P. Aelius Paetus cum esset praetor urbanus et sedens in sella curuli ius diceret populo, picus Martius advolavit atque in capite eius adsedit.

†4 Cum Poenus in fretum obviam venisset nostris et quosdam cepisset, crudelissime pro palangis carinis subiecerat, quo metu debilitaret nostros.

†5 Postea quam Q. Fabio Maximo dictatore . . senatus

6 Nam lateres argentei atque aurei primum conflati atque in aerarium conditi.

7 Animadvertendum primum, quibus de causis et quem ad modum constituerint paces, secundum qua fide et iustitia eas coluerint.

---

25 Nonius p. 180, 31: *Trutina: M. Tullius Cicero . . Varro de vita P. R. lib. II aut aliqua — ferent.* Locus prorsus obscurus.

Liber III. 1 Cf. Liv. XXVII, 5 de anno 544/210.

2 Nonius p. 163, 32: *Pondo ducentum nove Varro saepe, de vita P. R. lib. III Delfos — ducentum.* Cf. Liv. XXVIII, 45 de anno 549/205.

3. Nonius p. 518, 30: *Picumnus et aves est Martis dicata, quam picum vel picum vocant, et deus qui sacris Romanis adhibetur. Aemilius Macer . . Varro de vita P. R. lib. III Pelius Petus — adsedit.* Codd. *Pelius Prius*, Riccob. *P. Aelius Paetus.* Cf. proleg. p. 14. Factum hoc est uno multo ante pugnam Cannensem.

4 Nonius p. 163, 27: *Palangae dicuntur fustes teretes, qui navibus subiciuntur cum adtrahuntur ad pelagus vel cum ad littora subducuntur, unde etiam nunc palangarios dicimus, qui aliquid oneris fustibus transvehunt. Varro de vita P. R. lib. IIII cum Poenus — debilitaret nostros.* Codd. lib. IIII, Thilo p. 6 lib. III. Vid. prolegom. p. 15.

5. Nonius p. 484, 20: *Senati vel senatus pro senatus. Plautus . Varro de vita P. R. lib. I postea quam — dictatore.* Codd. lib. I, v. proleg. p. 5. Vocem senatus omittunt Nonii codd., quod aperte addendum est.

6. Nonius p. 520, 16: *Lateres apud quosdam, ut scrobes, cuius generis habeantur, incertum est. sunt autem generis masculini. Varro de vita P. R. lib. III nam lateres — conditi.*

7. Nonius p. 145, 13: *Paces plurali numero nove positum. Varro de vita P. R. lib. III animadvertendum — coluerint.*

8 Si cuius legati violati essent, qui id fecissent, quamvis nobiles essent, uti dederentur civitati, statuerunt fetialesque viginti, qui de his rebus cognoscerent, iudicarent et statuerent, constituerunt.

9 Tum appellatus est dilectus et ab electione legio, ab hac supervacaneorum consuetudine adscribuntur

10 Qui de ascriptivis, cum erant adtributi decurionibus et centurionibus, qui eorum habent numerum, accensi vocabantur Eosdem etiam quidam vocabant ferentarios, qui depugnabant fundis et lapidibus, is armis, quae ferrentur, non quae tenerentur

11 Rorari appellati, quod imbribus fere primum rorare incipit.

12 Referentibus centurionibus adoptati in cohortes subibant, ut semper plenae essent legiones, a quo optiones in turmis decurionum et in cohortibus centurionum appellati

13 Qui in exercitu donati essent et eque publico mererent.

14 Qui gladiis cincti sine scuto cum binis gesis essent.

---

8 Nonius p 529, 16 *Fetiales apud veteres Romanos erant, qui sancto legatorum officio ab his, qui adversum P R vi aut rapinis aut iniuriis hostili mente commoverant, pigarro facto foedere iure repetebant nec bella indicebantur, quae tamen pia vocabant, priusquam id fuisset fetialibus denuntiatum Varro de vita P R lib II* si cuius legati — sqq *Idem lib III* ex causa legati — et constituerant. Extrema verba emendavit Perottus.

9 Nonius p 57, 7 *Legionum proprietatem a dilectu militum Varro de vita populi Romani lib III dictam interpretatur* tum appellatus est — adscribuntur Mercerus adscriptivi

10. Nonius p. 520, 8 *Decuriones et centuriones a numero, cui in militia praeerant, dicebantur. Accensi, qui his accensebantur, id est adtribuebantur. Varro de vita P R lib III* qui de — tenerentur. Pro puggse quod est in codd., Popma recte restituit fundis. Idem v. d. contungit hoc fgt cum III, 9 V etiam proleg p 10.

11 Nonius p 553, 5 *Rorarii appellabantur milites, qui antequam congrederentur acies, primo non multis iaculis inibant proelium, tractum, quod ante maximas pluvias caelum rorare incipiat Lucilius. Varro de vita P R lib III* rorari — incipit Cf proleg p 11

12. Nonius p 68, 2 *Optiones in cohortibus, qui sunt honoris gradus, ut optatos, quod est electos et adoptatos, quod ascitos, Varro de vita populi Romani lib III existimat appellatos* referentibus — appellati

13 Nonius p 344, 32 *Mereri, militare Lucilius Varro de vita P R lib III* qui in exercitu — mererent.

14 Nonius p. 555, 12 *Gesa, telum Galliarum tenerum. Verg . Varro de vita P. R. lib III.* qui — essent

4*

15. Nam postea C. Lutatio consuli ad Aegates insulas, cum ipse catapulta ictus esset.

16. Ut eius convivium, qui triumpharet, in Capitolio videretur esse proprium, ut ipse potius domum reduceretur cenatus a convivio.

17. Quod antiqui pluris tabulas coniunctas codices dicebant, a quo in Tiberi navis codicarias appellamus.

18. Quod humatus non sit, heredi porca praecadanea suscipienda Telluri et Cereri, aliter familia pura non est.

19. Ut dum supra terram esset, riciniis lugerent, funere ipso ut pullis palliis amictae.

20. Propinquae adulescentulae etiam anthracinis proxumae amiculo nigello capillo demisso sequerentur luctum.

21. Quod ex hereditate Attalica aulaea, clamides, plagae aureae

---

15. Nonius p. 552, 22: *Catapulta, iaculum celer vel sagitta. Plautus* ... *Varro de vita P. R. lib. III*: nam postea — ictus esset. Cf. proleg. p. 15. Popma: postea a C. Lutatio consule et ictus abesset, equidem suppleo: „ideoque pugnae interesse non posset, triumphus decretus".

16. Nonius p. 94, 15: *Cenatus, ut pransus, ut potus, ut lotus, id est confecta cena. Varro de vita P. R. lib. III*: ut eius convivium — a convivio. Cf. proleg. p. 15. Lipsius var. lect. III, 75; vid. Thilenum p. 27. *Potius* i. e. pene consulibus.

17. Nonius p. 535, 19: *Codicarias naves etiam nunc consuetudo appellat, eas quod in fluminibus sunt usui. Sallustius* ... *Varro de vita P. R. lib. III*: quod antiqui — appellamus. V. Paul. Fest. p. 46, 6, Sallust. ap. Non. l. l.

18. Nonius p. 163, 19: *Praecidaneum est praecidendum. Varro de vita P. R. lib. III*: quod humatus — pura non est. Cf. imprimis Fest. p. 218ᵃ, 17, Gell. n. a. IV, 6, 7. De vv. quod humatus non sit cf. Varr. de l. L. V, 23.

19. Nonius p. 549, 31: *Pullus color est quem nunc Spanum vel nativum dicimus. Varro de vita P. R. lib. III*: ut dum supra — amictae. Codd. essent, inepte.

20. Nonius p. 550, 4: *Anthracinus, niger, a Graeco: anthraces enim Graece, carbones Latine appellantur et est ingentium acatia. Varro de vita P. R. lib. III*: propinquae — luctum. Codd. proxumo, corr. Iunius. Numerum singularem v. sapellae posuit Varro ut semper, v. Charis. p. 81 P.

21. Nonius p. 537, 14: *Aulea, genus vestis peregrinum. Varro de vita P. R. lib. III*: quod ex hereditate Attalica aulea, clamides, pallae aureae. *Virg.* ... *Et est tempnum paludamentum barbaricis habitus militaris*. Nonius p. 537, 22: *Plagae, grandis linteum tegmen, quod nunc torale vel lectuarium syndonem dicimus, quarum diminutivum est plagulae. Varro de vita P. R. lib. III*: clamydes, plagae, usus aurea. „Clamides" Varro dixit semper, nusquam *chlamydes*. Propter durorum Nonii locorum similitudinem fragmenta in unum copulanda esse arbitror. Supplendum fere est: „migraverunt Romam".

22. Ad Sybaritanam praedam, in qua sunt tripodes, creterrae, anancaea, pocula nobilium toreutarum.

23. Quo facilius animadvertatur, per omnes articulos populi hanc mali gangrenam sanguinulentam permeasse.

LIBER IIII.

1. In spem adducebat, non plus soluturos quam vellent: iniquus equestri ordini iudicia tradidit ac bicipitem civitatem fecit, discordiarum civilium fontem.

2. Ipsa Italiae oppida sunt vastata, quae prius fuerunt hominum referta.

3. Ita huius belli horribilis finis facta.

4. Quod Curio cum id fecisset dicebat amicis, ut illi renuntiaretur, se obstringillaturum, ne triumphus decerneretur aut ne iterum fieret consul.

5. Neque id caeci consules fuissent, qui mandata arcana T. Ampio dedissent, ut discedentem Gn. Magnum —

— —

22. Nonius p. 547, 31: *Creterra est, quam nunc situlam vocant. Naevius . . Varro de vita P. R. lib. III ad Sybaritanam — nobilium toreutarum.* Ultimam vocem restituit Rothius.

23. Nonius p. 117, 26. *Gangrena est cancer. Lucilius . . Varro. Idem de vita P. R. lib. III quo facilius — permeasse.* Cf. Varr. satur. 89, 3 ed. Oehl.

Liber IIII. 1. Nonius p. 454, 21: *Bicipitem, quod incorporatum est, ponere dicit Varro de vita P. R. lib. IIII aperuit: in spem adducebat — civilium fontem.* Cf. Flor. ed. Halm p. 66, 30 „iudiciaria lege Gracchi diviserant populum Romanum et bicipitem ex una fecerant civitatem.“

2. Nonius p. 501, 14: *Genetivus pro dativo. Accius . . Varro de vita P. R. lib. IIII ipsa Italiae — referta.* Vid. Th. Mommsen. hist. Rom. III p. 515.

3. Nonius p. 205, 16. *Finem masculino genere dicimus. Virg. Feminino Lucretius . . Varro de vita P. R. lib. IIII ita huius — facta.*

4. Nonius p. 147, 16. *Obstringillare obstare. Ennius . . Varro . . Idem de vita P. R. lib. IIII quod Curio — consul.* Cum Caesar consulatum in annum 706/48 petiturus esset, Curio videtur simulasse se illius consilius obstantem, s. Vellei II, 48, 4.

5. Nonius p. 525, 17. *Caecum veteres pro improviso dixerunt. Varro de vita P. R. lib. IIII neque id — Gn. Magnum.* Codd. *quae — sedisseat aatdiscentam GN Magnum.* Mortyol-Laguna ad Cic. epist. ad fam VI, 12, vol. I pt. II p. 153 ed. mea. corruxit, ni forte gravius vitium delitescit. Suppleт ille „retraheret a fuga ex Italia.“ Prima verba videntur pertinere ad ipsorum consulum ex Italia fugam, qui iam ante Pompejum Dyrrhachium iverant.

6. Caesar reversionem fecit, ne post occipitium in Hispania exercitus qui erant reliquerat, quo se conferret Pompeius, ut incipiti urgeretur bello.

7. Itaque multis civibus ex utraque parte sauciis, multis occisis fugatur.

8. Itaque rettulit auri pondo mille octingentum septuaginta quinque.

9. Tanta porro invasit cupiditas honorum plerisque, ut vel caelum ruere, dummodo magistratum adipiscantur, exoptent.

10. Itaque propter amorem imperii magistratus gradatim seditionibus sanguinulentis aut dominatus, quo appellerent —

11. Si modo civili concordia exsequi rationem pareat, rumores lamam differant licebit nosque carpant.

12. Ibi a muliere, quae optuma voce esset, perquam laudari, dein naeniam cantari solitam ad tibias et fides eorum quae ludis Troicis cantitassent. haec mulier vocitata olim praefica usque ad Poenicum bellum.

13. L. Lucullus prior apud patrem numquam lautum convivium vidit,

---

6. Nonius p. 245, 13: *Anceps, duplex. Lucilius ... Varro de vita populi Rom. lib. IIII* Caesar — bello. Cf. Caes. de b. civ. I, 30, *ancipiti bello* i. e. terra marique. Semmal Boissarius p. 52.

7. Nonius p. 398, 11: *Saucii dicuntur proprie vulnerati, non macati sicut vult consuetudo. Accius ... Varro de vita P. R. lib. IIII* itaque — fugatur. Fortasse sermo est de pugnae Pharsalicae exitu, cf. Vellei. II, 52, 3.

8. Nonius p. 148, 18: *Pondo mille octingentum nove. Varro de vita P. R. lib. IIII* itaque — quinque. *Graeci enim λίτρας a mole dixerunt.*

9. Nonius p. 493, 22: *Caelum pro accusativo. Titinius ... Varro de vita P. R. lib. IIII* tanta — exoptent.

10. Nonius p. 465, 31: *Sanguinulentum corporum potest esse. Lectum est et de incorporeis. Varro de vita P. R. lib. IIII* itaque — appellerent. Metaphoram quae inest in v. appellere non recte deleverunt vv. dd.

11. Nonius p. 284, 10: *Differre est spatium temporis dare. Virg. ... Diffamare, divulgare. Lucilius ... Varro de vita P. R. lib. IIII* si modo — carpant. Codd. nosque. Aldus nos quoque, equidem scripsi nosque (f. famosos differant licebit, nos qui carpant). Cf. Boissier p. 53.

12. Nonius p. 145, 28: *Nenia, ineptum et inconditum carmen, quod adducta mulier, quae praefica diceretur, iis quibus propinqui non essent, mortuis exhiberet. Varro de vita P. R. lib. IIII* ibi a — et tibias et fides. Nonius p. 67, 7: *Praeficae dicebantur apud veteres, quae adhiberi solent funeri mercede conductae, ut et flerent et fortia facta laudarent. Plautus ... Varro de vita populi Romani lib. IIII* dein naeniam — Poenicum bellum. Codd. earumque ludis trricas cantitassent, Scaliger coniect. ed. Durdr. p. 142 eorum qui ludis Troicis cantitassent. A. Göbel de Troiae ludo (Düren 1852) p. 27 eorum qui ludis Troicis cantitassent parum probabiliter, cum ludos Troicos in funeribus celebratos esse nusquam traditum. Formam Poenicus pro Punicus saepius Varro usurpavit.

13. Plinius nat. hist. XIV, § 96: *Quibus etiam auctoritas fuerit sua in mensa, M. Varro his verbis tradit:* L. Lucullus — reliquit. *hactenus Varro.* Nonius p.

Digitized by Google

in quo plus semel Graecum visum daretur. ipse cum rediit ex Asia, milia cadum congiarium divisit amplius centum. C. Sentius, quem praetorem vidimus, Chium vinum suam domum inlatum dicebat tum primum, cum sibi cardiaco medicus dedisset. Hortensius supra decem milia cadum heredi reliquit.

14. Eadem postea carbaseis magis quam ut pellibus tegerentur.

15. Eoque pecuniam magnam consumpsisset, quod arci, quos summo opere fecerat, fessi pondere diu facti celeriter corruissent.

16. E Graecia suas in villas comportasse magnum pondus omnium artificum.

17. In quo est supervacuum pro supervacaneo.

544, 14. *Cadi, vasa, quibus vina conduntur. Lucilius .. Varro de vita P. R. lib. III: Hortensio supra — heredi reliquit.* Nonius p. 495, 30: *Accusativus numeri singularis positus pro genitivo plurali. Naevius .. Varro .. Idem de vita P. R. lib. III: Hortensius — heredi re tollis medimnum, Vini milia cadum.* Libro IIII recte vindicavit Thilo p. 6. De C. Sentio Saturnino vid. Cicer. in Verr. act. II lib. III, 93, 217 et Cic. in Pison. 34, 84. Hortensius mortuus est a. 704/50. Eandem in Nonii codd. p. 495 versuum recte animadvertit Mercerus, sic enim habebat exemplar Nonii, unde descripti sunt codices quos nunc habemus

,,Hortensius supra decem milia cadum heredi re
,,(liquit. Lucilius lib. XVIII: milia decentum frumenti)
tollis medimnum, Vini milia cadum.

14. Nonius p. 541, 20: *Carbasus, pallium, quo fures amiciuntur, vel opulentiae causa, ut serica aut lina tenui. Verg. .. Varro de vita P. R. lib. IIII: eadem postea — tegerentur togas.* Quorsum verba spectent non liquet. Popma loqui Varronem arbitratur de veliis theatralibus, cf. Plin. n. h. XIX, 23, unde explicandus etiam locus Lucretii VI, 109 et IV, 74.

15. Nonius p. 77, 12: *Arci. Varro de vita P. R. lib. IIII: eoque pecuniam corruissent.*

16. Nonius p. 466, 3: *Pondus pro numero. Varro de vita P. R. lib. IIII: e Graecia — artificum.* Codd. *e Graecia suas in,* Mercerus *e Graecias in,* Gerlach. *ex Graecias in — artificiorum.* Ultimum vocem Gerlachius fortasse recte excogitavit. Loqui videtur Varro de L. Lucullo qui a. 687/67 Romam rediit, v. Velleius, II, 33, Plutarch. vit. Luculli c. 41.

17. Nonius p. 525, 13: *Supervacuum non putat oportere dici. Varro de vita P. R. lib. IIII, sed supervacaneum: in quo — supervacaneo.* Cf. Fest. p. 293[b], 33. Varronis verba sunt prorsus obscura.

FRAGMENTA VARRONIS DE VITA P. R. LIBRIS FALSO VINDICATA.

1.

P. Merula comment. in Enni annal. p. 308 haec tradit: „Apud Calpurnium Pisonem lib. II quo loco agit de vocum sectione sive de tmesi. Sectio duplex simplicium et compositorum . . Sectionum quas composita patiuntur nulla detur regula. Potius dicam cum Varrone libro III de vita populi Romani, Plebisque scito cautum ne qui legaret causave mortis donaret, supra asses mille, quam cum Ennio libro III, Deque totondit agros laetos, atque oppida cepit. Et quae multa ibi apud insignes auctorum alia sequuntur." His Merulae verbis fretus Popma in libri III Varronis de vita P. R. fragmentis posuit ex L. Calpurnii Pisonis lib. II de continentia veterum poetarum: „Plebisque scito cautum, ne qui legaret causave mortis donaret supra asses mille," quod recte explicat de lege Furia de testamentis a. 571/183 lata. Illum vero scriptorem a Merula fictum esse iam satis constat, v. I. Lawickium, de fraude P. Merulae Enniamorum annalium editoris, diss. Bonn. 1853 p. 22 sqq.

2.

Pompeii commentum artis Donati (ed. Fr. Lindemann, Lips. 1820) p. 9: „Istae litterae apud maiores nostros non fuerunt XXIII, sed XVI. Postea additae sunt aliae. Ita etiam tractatoris est, ut doceat olim XVI fuisse, postea ex superfluo additas alias litteras et factas XXIII. Habemus hoc in libris ad Atticum apud Varronem, et cur tot sint et quare eo ordine positae et quare isdem nominibus vocentur" et p. 27: „Legimus, apud maiores nostros primas apud Romanos XI litteras fuisse tantummodo, et dicit Caesar libro analogiarum primo. In libro analogiarum Caesar hoc dixit, XI fuisse. Varro docet in aliis libris, quos ad Actium scripsit, XVI fuisse, postea tamen crevisse et factas esse XXIII," v. huius epitomatorem apud Gaisford. scriptt. rei metricae (Oxon. 1837) p. 563. His in locis Ruhnkenius apud Heusingerum, Mall. Theod. de metr. p. 64 pro ad Actium vel ad Attium coniciebat scribendum esse ad Atticum, ut intellegerentur de vita P. R. libri. At rectissume oblocutus est Schneiderus, Scriptt. R. R. I, 2, p. 239, quem sequuntur Od. Mullerus, Ritschelius, B. ten Brinkius, Rothius

3

Riccobonus in horum librorum fragmentis, ex incert. libr., collocat verba „Olim XXV missi exhibebantur, sed vigesimus quinctus dicebatur aerarius, eo quod de collatione populi exhibebatur," sumpsit haec de ludis Circensibus e Servio in Virg. Georg. III, 18, sed ibi laudantur libri de gente P. R., quibus hoc fragmentum non est eripiendum.

4

Servius in Virg. Aen. IX, 603. „Durum a stirpe genus.) Italiae disciplina et vita laudatur, quam et Cato in originibus et Varro in gente populi Romani commemorat," quo in loco Kraknerus, de Varr. antiqq. libb. p. 10 sine ulla dubitatione legendum esse censet: in vita populi Romani. At v. d. locum falso interpretatus est; Servius enim loquitur de disciplina Italiae non de Romanorum vita et disciplina, quae hic ab illo prorsus diversa habetur, namque verba apud Virgilium Durum a b stirpe genus sunt Itali Numani, qui certat contra Romanem futurum et suae gentis duritiem celebrat contra Phrygum mollitiem. De Italorum autem vita et disciplina in opere de gente P. R., ut puta in libro III., non fuisse actum non concedo.

5

Servius in Virg. Aen. VII, 176. „Maiores enim nostri sedentes epulabantur, quem morem habuerunt e Laconibus et Cretensibus, ut Varro dicit in libris de gente populi Romani, in quibus dicit quid a quaque traxerint gente per imitationem." V. adnot. ad Varr. de vita P. R. I, 28.

6

Ludovicus Carrio, emendatt. et observatt. II, 3. „Mactare idem esse in sacrificiis quod immolare, Nonius aliique tradiderunt. non recte illi duas voces confuderunt, si recte Varro separaverit, aut potius, quia Varro recte separavit, illi perperam confuderunt. verba Varronis apud Porphyrionem, qui apud me plenior est et integrior, ad illud Horatii (sat. I, 2, 31): macte Virtute esto, inquit sententia dia Catonis ex libro secundo de moribus pop. R. nondum, quod sciam, publicata sunt haec: Mactare verbum est sacrorum κατ' εὐφημισμὸν dictum, quasi magis augere ut adolere, unde et magmentum, quasi maius augmentum: nam hostiae tanguntur mola salsa, et tum immolatae dicuntur: cum vero ictae sunt, et aliquid ex illis in aram datum est, mactatae dicuntur, per laudationem, itemque boni ominis significationem et cum illis mola salsa imponitur, dicitur: Macte esto. haec Varro." Verba illa Mactare verbum — dicitur Macte esto propter hoc

testimonium Popma inter reliquias libri II. Varronis de vita P. R. retulit, non recte ut puto. Primum enim libri de moribus P. R. non iidem sunt atque de vita P. R., tum vero Carrio illa sibi e Servii codice adnotasse videtur, titulum libri Varronis e suo ingenio addidisse, nescio quo modo pro Virgiliano denique posuit Horatianum scholiastam. Apud Servium enim cum alibi tum in Virg. Aen. IV, 57 leguntur quae Carrio e Porphyrione profert.

7.

Festus p. 285 a, 34 ed. Mull.: Religionis praecipuae habetur Censo(ria maiestas, cuius in libris de vita P. R.) Varro exe(mpla haec profert. cett. ex Ursini supplementis. V. proleg. p. 11.

(7 GLN 64)

VITA.

Natus sum Carolus Christianus Hermannus Kettner, evangelicae fidei addictus, Burgi quod oppidum non multum abest a Parthenopoli, die XXVIIII mensis Octobr. anni h. s. XXXVIIII patre Christiano Kettner, matre Aemilia e gente Schreck. Sextum annum vix attigeram, cum pater meus in Thuringiae vicum, cui nomen est Koesen, se conferret, ubi per quindecim annos praepositus balneis publicis mortuus est mense Sept. a CIƆIƆCCCLX, anni insequentis mense Iun. decessit etiam mater dilectissima. Inde ab anno aetatis undecimo in gymnasio Numburgensi, quod floret rectore Foertschio, perfeci cursum classium inferiorum. Tum vero a rectore Kirchnero, quem mox mortuum secutus est Peterus, in scholae Portensis alumnorum numerum receptus per quinquennium et dimidium annum praeceptorum clarissimorum usus sum institutione, quibus quantum debeam grato memorique animo semper profitebor. Unde auctumno anni h. s. LVIII. Halas Saxonum adii. Quam in academia audivi scholas Th. Bergkii, God. Bernhardyi, Erdmanni, H. Leonis, Pottii, Schalleri et sodalis fui seminarii regii philologici usque ad anni h. s. LXI auctumnum. Quibus viris omnibus gratias ego quam maximas, praeter ceteros vero Bergkius et Bernhardyus studiorum recte instituendorum auctores praestantissimi optime de me sunt meriti.

Aegra valetudine usus per hiemem insequentem in aedibus paternis moratus sum, ubi me pristinam corporis sanitatem recuperaturum esse sperabam. Spes me fefellit! Verno tempore Halas remigravi, ut bibliothecae opibus adiutus denuo philologicis studiis operam navarem, ibique mansi usque ad eiusdem anni auctumnum.

Nunc Parthenopoli commoror in regio gymnasio cathedrali praeceptoris subsidiarii munere fungens.

THESES.

I.

In Ciceronis Bruto 8, 31: „His opposuit sese Socrates, qui subtilitate quadam disputandi refellere eorum instituta solebat verbis. Huius ex uberrimis sermonibus" eiciendum duco vocabulum „verbis."

II.

Cum in Platonis Cratylo p. 426 c. codd. praebeant: „ἀλλὰ γὰρ δῆλον ὅτι ἴεσις βούλεται εἶναι — ἔδει δὲ κίνησιν καλεῖσθαι ἢ εἶσιν" suspicor legendum esse: „ἀλλὰ γὰρ δῆλον ὅτι κίεσις βούλεται εἶναι — ἔδει δὲ κίεσιν καλεῖσθαι ἢ ἴεσιν."

III.

Apud Horatium ep. II, 2, 199. recte se habet librorum scriptura:

„Pauperies immunda domo procul absit."

IV.

Assentior Lachmanno post Lucret. II, 465. versum excidisse statuenti.

V.

Euripid. Phoeniss. v. 428:

„Τυδεῖ τε κἀμοί· σύγγαμβρος γάρ ἐστ' ἐμός"

spurium esse Jortinus recte suspicatus est.

VI.

In Sophoclis Philoct. v. 190 Pflugkii lectionem probo hanc:

„ἁ δ' ἀθυρόστομος
ἀχὼ τηλεφανὴς πικρὰς
οἰμωγὰς ὑποκλαίει"

cum codd. exhibeant „ὑπόκειται."

